45157

DUKE
UNIVERSITY
LIBRARY

Treasure Room

LAVRENTII PIGNORII

SYMBOLARVM EPISTOLICARVM

LIBER

In quo nonnulla

EX ANTIQVITATIS IVRIS CIVILIS ET HISTORIAE PENV

Depromuntur & Illustrantur

MVLTAQVE AVCTORVM LOCA

Emendantur & explicantur.



PATAVII MDCXXVIII.

Ex Typograph. Ioannis Baptistæ de Martinis.

Permissu vtriusque fori.

P7
12mo
TR.R
P6325

ILLVSTRISS.MO VIRO
Et Amplissimo Senatori
DOMINICO MOLINO.

LAVRENTIVS PIGNORIVS.

Patrocinium tuum si hic implorem importunus profectò sim & actum agam Senator optime et eminentissime. quotus enim quisque est, qui nesciat quanto tu fauore prosequaris nos omnes, qui Sacris Musarum operamur? ego sanè beneuolentia tua et beneficijs ad inuidiam vsq; obrutus, profiteri possum, atq; etiam debeo nihil esse in Studijs nostris imum vel summum, quo non pertingat viuida ista acies

580768

Genij & Ingenij tui. Hasce ergo Epistolas tibi PRÆCIPITO tibiq; HABETO vt loquuntur Iurisconsulti, illas quidem satis inconditas, & nullius penè precij, sed quibus tamen conciliare possit aliquid fauoris longè clarissimum nomen tuum, quod gerunt illæ in fronte, vti nos Mystæ Musarum in Adytis sanctioribus Mentis. Te interim DEVS opt. max. & tua cœpta fortunet, in Patriæ Serenissimæ splendorem, cui tu omnes tuas curas impendis, et in publicæ rei Litterariæ, quæ tibi apud nos crepundia & incrementa vni debet, sustentationem.

Patauij. Prid. Id. Augusti.
M DC XXIIX.

EIDEM
LIBERTATIS ELOQVENTIÆ ET SAPIENTIAE
ASSERTORI.

LIbertas Itala nunc prorsus profuga Terra;
Ecquis ait nobis restat in Orbe locus?

Eloquij quam Suada potens Pallasque togata,
Hortantur subeat tecta MOLINE tua.

Ast ego si qua mihi miseram via tuta monendi est.
Vt subeat faciam pectoris ima tui.

Hic Adyta inueniet, quæ maiestate verenda
Infandum arcebunt prouida seruitium.

I. P.

Digitized by the Internet Archive
in 2012 with funding from
Duke University Libraries

http://archive.org/details/symbolarvmepisto00pign

LECTORIBVS Beneuolis.

EGo vos in hoc Epistolarum mearum limine Lectores admonitos volo eiusce consilij, quod me impulit ad Epistolarum mearum editionem. Cum Martinus Sandellius, qui cum mihi intercedit vetusta necessitudo Litteraria, in Bibliotheca mea oculos conieciſſet in fascem satis grandem, qui Epistolas meas continebat, explicato volumine (vt est ingenuè curiosus) & aliquibus non sinè voluptate perlectis, quid tu inquit Pi-

gnori has tuas Epistolas venire in conspectum hominum non permittis? Ego tenuitatem styli excusare siuè potius accusare; materiamq; non omnino Epistolis conuenientem: præterea plerosq; illorum; ad quos scriptę fuerant, fato concessisse, & nonnullas Parerga Historica continere; Ille contra iubere de stylo sollicitum me esse non debere, amasse, enim magnos viros locutionem solutam & familiarem, neque aliud requiri ab Epistola, quam vt sit imago quædam sermonis domestici, & quotidiani. fideiubere se præterea segetem rerum haud displicituram, aliorum

exem-

exemplo, qui Critica, & Doctrinas Epistolis inseruerint. gratam ad hæc futuram memoriam illustrium defunctorũ hoc veluti scriptionis postliminio restituendam. neq; esse nouum Historiam Epistolis tradi. Et ego sanè qui memineram hæc omnia magnis Patronis non carere, dedi manus non grauate, & sum passus exire hanc Quinquagenam, portionem aliquot Centuriarum, quę & ipse lucem aliquando, & forte breui, aspicient; modo vos Lectores beneuoli has aliqua fauoris vestri aura prouehatis. & hoc profecto peculiariter a vobis exigitur, qui studia

nostra

noſtra ſtudijs veſtris illuſtrastis, qui Pignorium præconijs non translaticijs eſtis dignati. Per vos quod mihi obtigit,

viuenti decus atq. ſentienti

(vt canit vates Hiſpanus) id rari fortè poſt cineres habent Auctores. Hoc ego patrimonium, quod vos mihi honeſto veſtro rumore conflaſtis, nũquam diſſipabo. Vos fauete, vt conſueuiſtis inguiſquè animiſquè. Crabronum enim Veſparum & Fucorum aculeos nihil moror. Valete.

LAV-

LAVRENTII PIGNORII ELOGIVM.

Auctore I. P.

Mortalis quicunque es si virtutem si veritatem colis LAVRENTII PIGNORII præclariſſima Monumenta aſpice inſpice ſuſpice. Virtus vbique plurimi facienda. Veritas pronis ſemper auribus accipienda. Is ad Patriæ litterarumque gloriã natus eruditiſsimis monumentis litterarium orbem mirum in modũ illuſtrat. In illis viri ſapientes non mendacis alicuius ingenij ſtoliditatem intuentur ſed prouidi iudicij ſapientiam admirantur. Sunt eius fœtus eruditio-

nis

nis fõtes in quibus si antiquitatis indagator mergat animũ cuiuslibet penitioris litteraturę sitim explebit. Celebre cuius nomen non modo apud Italos sed etiam apud Germanos Gallosq. feliciſsime refulgẽt. Immortali tãti ſcriptoris gloriæ obtrectatio et liuor vt victimæ mactabuntur. Tu Patauina ciuitas inclyta ſtudiorum altrix perẽnem hanc laurum pretioſum hoc pignus virum ſui aeui eruditionis facilè principem orbi exhibuiſſe sũ moperè gloriare. Scriptori aeternum admirando vniuerſus litteratorum ſenatus publico decreto hoc elogium poſ.

Indiculus eorum, ad quos Epiſtolæ ſcriptæ ſunt.

A

Albertino Bariſono Abbati. 104.143
Aloyſio Lollino Epiſcopo Belluni. 87
Aloyſio Corradino. 51
Andreæ Chiocco. 45.58.76
Andreæ Mauroceno Senatori Ven. 66
Angelo Rocchæ Epiſcopo Tagaſtenſi. 37
Annibali Campegio. 159
Auguſtino Fauſtinio. 211

B

Balthaſari Bonifacio. 174

C

Cæſari Nicheſolæ. 35
Chriſtoforo Forſtnero. 127

Cur-

D

E

Edmundo Brutzio. 16

F

Felici Osio. 116
Flauio Quærengo. 171
Francisco Polæ. 52
Francisco a Sole. 194
Francisco Viduæ. 12.28

G

Gabrieli Capræ Comiti. 90
Gulielmo Sohiero. 137

H

Hieronymo Aleandro. 205
Hieronymo Bosso. 198

I

Iacobo Cauacio. 31
Ioanni Bonifacio. 157
Io. Hieronymo Bronzerio. 110.130
Ioanni Mangano 26
Ioanni Vinc. Pinello. 21

Ioanni Rhodio. 132
Ioanni Thuilio. 122
Ioanni Z. Caſtellinio. 214

L

M

Marco Antonio Romito. 94
Marco Velſero. 48
Martino Sandellio. 23.153

N

Nicolao Craſſo. 97
Nicolao Fabricio Peireſchio Senatori Regio. 101

O

P

Paulo Aicardo. 1
Paulo Gualdo. 69
Proſpero Alpino. 33

Q

R

S

Scipioni Cobellucio S. R. E. Cardinali. 61.82
Speroni de Comitibus Comiti, & Abbati. 166

Si-

Sigiſmundo Boldonio. 195
T
Thomæ Dempſtero. 64
V
Vincentio Contareno. 40

Ex multis erratis hæc pauca æquus Lector operis Typographicis ignoſcat.

pag.	25.	adoptaturus adaptaturus
	36.	decortum decoratum
	66.	Nitænus Nicænus
	90.	adoptat adaptat
	143.	fulmem fulmen
	156.	lin. vlt. dele ſed alio
	169.	Græcorum Græcis.

L. Helio Caesare Imp. P. Cœlio & ALBINO VIBVLLIO PIO CO

VII Idus OCTOBRES

Cn. Domitius Valens II. virID. praEEVNTEC. IVLIO SEVERO PONTF,

Legem dixit in ea verba quæ infra SCRIPTA SVNT

Iuppiter optime maxime quandoque tibi hODIE HANC ARAM DABO DEDICABOQVE OLLIS LEGIB.

Ollisque regionibus dabo dedicaboque quas hic hODIE PALAM DIXERO VTI INFIMVM SOLVM HVIVS ARAE ES

Si quis hic hostia sacrum faxit quod magmentum neC PROTOLLAT ITCIRCO TAMEN BROBE FACTVM ESTO CETER

Leges huic aae eaedem sunto quae arae Dianae sunt iNAVENTINO MONTE DICTAE HISCE LEGIBVS HISCE REGIONI

Sicuti dixi hanc tibi aram Iuppiter optime maxime DICO DEDICOQVE VTI SIS VOLENS PROPITIVS MIHI COLLEGISQ

Meis decurionibus colonis incolis coloniae martiae iVLLIAE SALONAE CONIVGIBVS LIBERISQVE NOSTRI

Huiusce Inscriptionis pars, quam Charactere minuto exprimi iussimus nouitia est. Antiquam Littera quadrata Romana signandam curauimus, eo consilio vt vnus quisque vnico intuitu secernat antiquum a recente.

L. P. PAVLO AICARDO

PHILOSOPHO ET MEDICO, VIRO DOCTISSIMO.

Epist. I.

ERuditio tua Vir Cl. & illicio mihi est & formidini. Hinc fit, vt communicare tecum omnia quæ mihi excidunt apprimè cupiam, idemque summo studio celem ea omnia mearum vigiliarum cœpta, quibus tu Doctrinæ Genium conciliasti. Vicit tamen hac vice desiderium discendi, perpulitque vt arbitratui subijcerem tuo Annulos meos. ita enim appello Syntagma, in quod conieci varias de Annulis notas. neque vero hæ te dedecent, qui vt Antiquitatis vniuersæ peritus es, Dactyliothecam habes precio, varietate, & artificio insignem. Annulorum vsum in magna vetustate fuisse arguunt sacræ Litteræ Gen. Cap. XLI. in quibus Ioseph, teste etiam Iosepho Lib. II. Annulo regio donatur, Prometheo ipso vetustior, quem fabulæ huiusce rei conditorem prædicant. habeant ergo sibi sententiam suam Plinius, & qui ipsum secuti

sunt, Homericis temporibus inferiorem reputantes. Græci videntur ex Oriente deuexisse: Itali a Græcis, verum vsu initio præparco, qui deinceps ad omnes promiscuè pertigerit. argumento sunt Gemmæ sigillares, quæ copia sui ipsam propemodum infinitam Nummorum veterum vim exæquant. Materies fuit Gemma, Aurum, Argentum, Aes, Gemmeos totos sunt qui viderint. Aurei, Argentei, Aerei, Ferrei passim eruuntur, sed cum Gemmis inclusis. At fuit olim cum uicem Gemmarum obtineret Aurum, & ego uidi apud Petrum Stephanonium non semel. quod sanè non omisit diligentissimus auctor Plinius; Lib. XXXIII. *Cap.* I. contra vero multi nullas admittunt Gemmas, Auroque ipso signant: id Claudij Cæsaris principatu repertum. *Aestiuorum & hiemalium usum retulit antiquus Interpres Iuuenalis Sat.* I. *ad Crispinum.*

Ventilet æstiuum digitis sudantibus Aurum,
Nec sufferre queat maioris pondera gemmæ.

Natalitiorum meminit idem ad Persium Sat. I.

Et natalitia tandem cum Sardonyche albus,

quia quidã habẽt Annulos *(inquit uetus enarrator,)* quos die tãtũ natali gerunt. *Sardonyx est apud me, in qua squilla cælo expressa est, nomine*

mine ſupranotato Ρουφιλλα. *Et huiuſmodi Litteratos non paucos uidi, quos euulgabo aliquando cum bono Deo. frequenter autem Annuli præferunt uultus Principum, & clarorum uirorum. Plinius Iunior Lib.* X. *Epiſt.* XVI. *Gemmam commemorat habentem imaginem Pacori Parthorum Regis, & Suetonius Aug. Cap.* L. *Tiberioque Cap.* LVIII. *& Val. Max. Lib.* III. *Cap.* V. *rem ſatis confirmabunt. Ego ſanè Iulium Cæſarem, Neronem, & Fl. Claudium domi habeo totidem Gemmis inciſos, ut mittam aliquot fœminas celebrioris notæ. a uultibus ſi recedamus, nihil non eſt quod Annuli non oſtentent. Plinianus Quadrigam habebat, ut ipſe refert Epiſtola proximè citata. Amphitruonius ex Plauto, cum Quadrigis Solem exorientem, uti produnt ueteres Nummi non pauci. Militis apud eundem Curculione, clypeatus Elephantum machæra diſſiciens. Neronis, Suet. C.* XLVI. *Proſerpinæ raptū. repertus ex eodē Galb. C.* X. *in munitione oppidi, opere antiquo, Victoriam cum Trophæo ſatis celebrem notam. Sullanus ex Val. Max. Lib.* VIII. *C.* XV. *traditionem Iugurtæ a Boccho rege, cum eſſet C. Marij Quæſtor ut inquit Plutarchus Politic. qui Sullam ex eo uti ambitioſum improbat,*

quod sibi rei gloriam Mario uni debitæ uindicaret. Neque uero usum Annulorum repudiarunt Christiani, adeo ut operæ pretium arbitratus sit Plutarchus noster Clemens Alexandrinus Pedag. Lib. III. *Cap.* XI. *præscribere aliquem terminum, intra quem contineretur hæc licentia promiscua quidlibet in Annulos insculpendi. censet enim a nostris rectè geri non quidem Idolorum facies, uel Ensem, uel Arcum, Poculaue: multo minus Amasios uel Amicas inuestes; sed Columbam, Piscem, Nauim, quæ celeri cursu a uento feratur, uel Lyram Musicam, qua usus est Polycrates, uel Ancoram nauticam Scleuci Regis, (cuiusmodi ego, ut tu nosti, aposphragismate utor, ueluti tu, & tardigradam & domi portam Testudinem ad signandum non temerè adhibes); uel Piscantes. Et sanè Idolorum facies in his frequentissimæ sunt, Aegyptiorum præsertim item Gladiorum & Arcuum imagines cum Poculis uisuntur non raro: & in hisce latus ille, & ansatus Bacchi Cantharus, qui & in Bæcterorum nummis argenteis uisitur, cum inscriptione* BOI. *Catamytos, & meretriculas sub argumento Venerum, & Cupidinum cœlatos fuisse arbitror. quorum in Annulis magna*

gna est copia. Et sanè non ita nuper monuit Arnobius Hermas Lib. VI. *ad vers. Gent. Athenis Alcibiadis ad corporis similitudinem fabricatos, Cratinam & Phrynen, nobilia scorta præbuisse acumen Venustatis, & floridæ Formæ tum Veneri Cnidiæ, tum Thespiacæ illi famosissimæ. Per Columbam autem intellexit Clemens Spiritum Sanctum, per Piscem prandium, quod apparauit Christus Dominus discipulis, cum surrexisset a mortuis Ioannis* XXI. *vel celebratum illud Conuiuium quo millia virorum quinque pauit Luc.* IX. *per Nauim, vel Ecclesiam, vel vitam humanam, per Lyram Concordiam, per Anchoram Constantiam, per piscantes (vt ipse quidem se explicat) Apostolos, vel Baptisma puerorum. Mirum autem est nō recēsuisse ipsū Symbola nominis Christi.*

Et Crucis, quæ mihi in Gemmis Antiquorum non semel animaduersa sunt: mirum

item non meminisse Arcæ Noeticæ, quam exhibuit in sua Dactyliotheca Abr. Gorlæus, Nu. CXVIII. *Columba insignem, & Arcu fœderis statuto in nubibus Cœli. Meas sanè Arculas insigniora cælamina sunt quæ ornent: Serapis, Nemesis, Cupido, Venus, Mercurius, Fortuna, & Roma schemate militari. Cythara item Eunomi Locrensis, Flos cui insidet Papilio, Musca, Lupa gemellorum altrix, Aegyptiorum deliria, & Basilidianorum aliquot portenta. Ipsi sapientiæ sectatores (vt tu optimè calles) hæresum suarum magistros, in Annulis palam habebant, & de re satis nota testatus est Cicero; Lib.* V. *de finib. in princ.* nec tamen Epicuri licet obliuiſci ſi cupiam; cuius imaginem non modo in tabulis noſtri familiares, ſed etiam in poculis, & in anellis habent. *Socrates certè non raro comparet in antiquis Gemmis signatorijs: Antisthenes; Plato, & alij aliquando. Plinius vero L.* XXXV. *C.* VI. *Artis & Naturæ Promus idem & Condus, Gemmas vitreas in vulgi Annulis notauit, cuiusmodi ego duas penes me habeo, & quidem eleganter cælatas Cauit autem ex Diogene Laertio Solon prudenter, ne Annularius Annuli quem vendidisset*

didisset sigillum seruaret; ad vitandas nimirum fraudes, quarum seges vberrima e suppositityis Annulis enasci poterat. hoc nostri adeo non faciunt, vt & typos sigillorum seruent, & in propatulo habeant, magno periculo illorum qui hæc negligunt. Et habet Tacitus Annal. Lib. XVI. *Caium Petronium coactæ morti proximum, fregisse Annulum, ne mox vsui esset ad facienda pericula. Et hæc quidem dicta sint de materie, & forma Annulorum. nunc ad vsum veniamus, dicamusque gestatos fuisse & in articulis, & in digitis. Martialis L.* V. *Epig.* XI. *de Stella nostrate.*

Sardonychas, Smaragdos, Adamantas, Iaspidas vno
Portat in articulo Stella, Seuere, meus.
Multas in digitis, plures in carmine Gemmas
Inuenies: inde est hæc puto culta manus.

Ideoquè monuit Clemens Alexandrinus loco superius citato non esse a Viris Annulum in articulo ferendum, hoc enim mulieris esse, sed in paruo digito, atquè adeo in ima eius parte collocandum. Miror verò ego Clementem non attendisse morem Romanum, qui fuit gestandi, vt prodit Gell. L. X. *cap.* X, *Annulum in digito sinistræ manus, qui est minimo proximus, cui & Annularis nomen ideo indidimus. Et sanè apud Macrob. lib.* VII. *cap.* XII.

cum Annulus Auieno de breuiſsimo dexteræ manus digito repente decidiſſet, præſentes quæſiuerunt, cur eum alienæ manui, & digito, & non huic geſtamini deputatis potius inſereret. Extant autem eiuſce geſtaminis rationes apud ipſum Macrobium Gellij compilatorem, quem memini non ſemel a V. Cl. Hieronymo Fabricio ab Aquapendente deriſui habitum, quod dicat in libris Anatomicorum extare, Neruum quendam de corde natum priorſum pergere vſque ad digitum manus ſiniſtræ minimo proximum. nihil enim huiuſmodi, inquiebat ille, in corpore humano comparere. Diſtinguebat autem Annulus Ingenuos ab hominibus ſeruilis conditionis. Ideoq; Pater apud Lucam Euangeliſtam Cap. XV. *alloquitur ſeruos ſuos*, cito proferte ſtolam primam, & induite illum, & date Annulum in manum eius. *Et hic aureum intelligo, ex Epiſt. D. Iacobi cap.* XI. *in princ. qui neque Libertis, neque Seruis conueniebat. fuit tamen cum & his conueniret beneficio Principis. vt notat præter cæteros Lipſius Lib.* XI. *Electorum. Annulorum ius Liberto tributum (vt ſenſit Vlpianus L.* X. §. *ſed & ſi iuſ. de in Ius Voc.)*

non

non eximit illum a reuerentia, quam Patrono exhibere debet. Et hoc ea ratione quia vsus aureorum Annulorum beneficio principali tributus Libertinis *(vulgo legitur male libertinitatis)* quoad viuunt imaginem non ſtatum ingenuitatis præſtat, *vt inquiunt Imperatores Diocletianus & Maximianus L. 11. C. de iur. aur. Annul. Repoſui autem* Libertinis, *quia ſic loquuntur ijdem Impp. in L. vn. C. ad L. Viſcell. Et hunc Annuli honorem luxus in oſtentationem vertit, quam Satyrici & ipſi carpſerunt. Iuuen. Sat.* VII.

——Ciceroni nemo ducentos
Nũc dederit nummos, niſi fulſerit Annulus ingẽs.
et

——ideo conducta Paullus agebat
Sardonyche

Adhibebant autem Annulum ad ſignandum quidquid lubebat, vt abditum eſſet ſecretumq; lagenas, cellas, dolia, trabes, viliſſima vtenſilium, epiſtolas, & teſtamenta. ideoque Pater, pluribus filijs heredibus inſtitutis, moriens, claues & Annulũ, cuſtodiæ cauſa maiori natu filiæ tradidit. L. LXXIX. *§. pater pluribus de le.* 11. *Arra vero & Sponſio Annu-*

lo

lo interueniente celebrabantur L. v. *de institor. Act. L.* XI. *de act. empti. L.* XIX. §. *vlt. de præsc. verb. ideoque nugator nesc ioquis, cuius extant Danielis nomine somniorum somnia, inquit*; Annulos accipere securitatem significat, & Annulos dare vel perdere dolorem significat, *obstringunt.n. Arra & Sponsio iuxta illud*, sponde noxa presto est; *nisi velimus allusisse illum ad grandium patrimoniorum decoctores, de quibus hæc Iuuenalis. Sat.* XI.

Talibus a Dominis post cuncta nouissimus exit
Annulus,& digito mendicat Pollio nudo.

Danielis autem illius, ne quis nouitium putet, meminerunt Achmetis etiam Onirocritica, illa pari plausu & sibilo digna rerum anilium Cimelia. Et hæc de Viris. Ad mulieres quod atttinet, certum est sponsas Annulo donatas, vt notauit Galeotus Martius in Libro de Homine, & indicat, Iuuenalis. Sat. VI.

----deinde Adamas notissimus: & Bernices
In digito factus preciosior: hunc dedit olim
Barbarus incestæ, dedit hunc Agrippa sorori.

clarius Martyr & Virgo Agnes apud D. Ambrosium, Annulo suo subarrauit me dominus meus Iesus Christus: *nec aliud sibi volunt*

lunt illa verba Theoſebÿ, Apud Phot. CCCLXX VIII. *ad vxorem*, olim tibi Annulum dedi coniunctionis filiorum procreandorum, nnnc tibi do temperantiæ, qui tibi ad caſtam domus cuſtodiam adiumento futurus eſt. *Et vero cuſtodiæ quod ait non temerè dictum eſt. Mater enim familias apud Plautum Caſinà ita loquens inducitur.*

Obſignate cellas, referte Annulum ad me:
Ego huc tranſeo---

Et ſanè plerumque vtebantur & ipſæ illo eodem ſigno, quo Pater familias vtebatur; Cicero Lib. XI. *ad Att. Epiſt.* IX. nam quod reſignatæ ſunt, habet opinor eius ſignum Pomponia: *Interdum proprio, vt patet ex L. 2. C. de reb. alien. non alienand. Et hæc apud caſtas & pudicas mulieres. apud impudicas fuit Annulus nequitiæ inſtrumentum. fragmentum Ennÿ apud doctiſſimum virum Hieron. Columnam.*

Alij dat Annulum ſpectandum a labris.
Alium inuocat: cum alio cantat.

Ideoque rectè huc corrogat idem Columna e legibus exaratis inter adoleſcentem, amicam, & lænam apud Plautum Aſinar. illa.

Spectandum ne cui Anuulum det, neq; roget.

hæc

hæc enim erant basia clancularia. Et hæc est Dactyliotheca mea V. Cl. tota tota chartacea vt vides. si tu illam probaueris aurea, gemmea, & quantiuis præcij fiet. Vale: & Pignorium tuum ama. Domi Kal. Aprilis. MDXCV.

L. P. FRANCISCO VIDVAE IVRISCONSVLTO V. EXCELLENTISSIMO.

Epist. II.

ASsis partes, quæ vestra cognitio est amice, heri tractabamus. Aeris videlicet grauis (vt vocabant veteres) formas pleraſq; varijs notis insignes. inter has eminebant dodrantes duo, quorū alter Ianū Ianam alter præferebat, illi Puppi Nauis in parte auersa, hic Mercurij Capite cum harpe pone occiput signati. erat ad manum & semis cum germana illa nota S, & Quadrans cum tribus globulis & sextans cum duobus, Veneria concha, & Mercurij Caduceo præclarus, Quibus dicebamus significari Maris & Terræ commercia, quæ sunt pecuniariæ bases, & mercatorum

ine-

inexhausti Thesauri. adeo nihil quantumuis tritum, & commune, apud maiores illos nostros, mysterio vacabat. inspiciebamus praeterea portiones alias qua maiores, qua minores, minusculas etiam, pro varietate rei Nummariæ, diuturnis imminutionibus exagitatæ. At illud, quod tunc ambobus nobis venit in mentem eximium fuit, & dignum animaduersione. Lactantius enim Firmianus Lib. I. *cap.* X. *ita scribit* hunc errantem atque inopem Ianus excepit, cuius rei argumenta sunt NVMMI VETERES. in quibus est cum duplici fronte Ianus, & in altera parte Nauis. *vt quid enim Nummos veteres appellat Lactantius, cum non nisi a posteritate percussi sint, vt canit Ouidius? & cum inter Iulium Cæsarem, Pompeiumq; quibus vigentibus illud genus pecuniæ feriebatur, & Constantinum quo regnante scripsit Lactantius, vix anni* CCCLI. *interceſſerint? Ego sanè arbitror non ita religiosè, vti nos quidem consueuimus, dimensos esse vetustatem qui ante nos scripserunt, in re monetaria præsertim. Pomponius. n. I. C. L.* XXXIV. *de Vsufr. Numismatum aureorum, vel argenteorum veterum,*

qui-

quibus pro Gemmis vti solent vsum fructum legari posse scribit, respiciens dubio procul ad veteres Aureos Regum Philippi & Alexandri, qui Pomponium quingentis paulo amplius annis præcesserunt. Itaque rectè pronunciauit quisquis ille fuit, quem nomine Cornelij Frontonis hactenus ostentauerunt Typographi, inter antiquum & vetus hoc interesse. quod Antiquum est, quod excessit patrum memoriam Vetus quod annorum multorum sensit vtilitatem. *Præterquam quod, Lactantium verisimile est respexisse ad formas iam vsu desitas suo tempore Asium illiusmodi æreorum. Augusti namque & Cæsares sibi vendicauerant nouitio inuento Imaginum suarum, & rerum quas gerebant, quidquid vspiam figurarum in antiquis Numismatibus comparebat. degenerauerat quippe Moneta ex ære quæ viuente Firmiano percutiebatur, & forma, & pondere; & ab illa antiquissima, & a minus antiqua haud multo veterum retro Principũ. Hæc mea tibi probari V. Cl. & opto & adeo spero. morositates aliorum minimi facturus, aliorum inquam, qui inuidentia, & maleuolentia vt olim Phinei mensas Harpyæ, rem omnem litterariam inquinant. tu vale, & Pignorium*

tuum

tuum amare perge. Ex Musæo nostro Kal. Decembr. MDXCVI.

L. P. EMVNDO BRVTZIO VIRO NOBILI.

Epist. III.

QVærebamus inter nos Amice hesterna die, inter deambulandum, quæ Initia essent assignanda studio, quo Tù, & ego ducimur & oblectamur, Antiquitatis. multa fuerunt vtrinq; dicta, vt meministi. multa tu acutè sanè, & variè ex præteritorum temporum monumentis repetebas. dicebam ego, Octauianum Augustum laudatissimum Principem, Prætoria sua excoluisse rebus vetustate, ac raritate notabilibus, qualia erant Capreis immanium belluarum, ferarumque membra prægrandia, & quæ dicebantur Gigantum ossa & arma Heroum; Suetonio Cap. LXXII. *asserente. addebam Populos eximiè coluisse olim reliquias Vetustatis; vt de Parma Antæi Elephantino tergore exsecto ingenti, apud Tingitanos; & de Ossibus immanibus marinæ belluæ, apud Iopen testatur Pomponius Mela Lib.* VII

Qui-

Quinimo Beneuēti Procopij ætate, Apri Calidonij dētes superfuisse ipsemet Procopius L. 1. Bel. Got. testatur, pedū trium perimetrum (non pentimetrum) habentes. Hanc fuisse Italiæ laudē, cū Franciscus Petrarca Vir maximæ doctrinæ, & elegantissimi (ut sua tempora ferebant) styli, has delicias quanti fecerit ipsemet prodit, in Epistola ad Lælium suum quæ est III. Lib. x. sumpta igitur ex verbis occasione, aliquot sibi aureas argenteasq; nostrorum principum effigies minutissimis ac veteribus Litteris inscriptas, quas in delicijs habebam dono dedi. *loquitur autem de Carolo* IV. *Aug. Henrici* VII. *Nepote, quem etiam alloquitur einsdem Libri Epist. vlt. verbis non dissimilis argumenti*; salutem mihi Lælius meus tuis verbis attulit, quæ mihi iaculum anceps, & lethale vulnus fuit, simulq; Cæsareā effigiem peruetusti operis. *Vbi Nummum intelligo. Quod vero ad ætatem nostram aut paulo supra attineret, Alphonsum Regem laudatum illum, & omni laude maiorem, Numismata Imperatorum, sed Cæsaris ante alios, per Vniuersam Italiam, summo studio conquisita, in eburnea arcula asseruasse penè religiosè, testis est Antonius Panormita.*

anti-

Quibus quoniam alia eorum simulacra, iam vetustate collapsa non extarent, mirum in modum se delectari, & quodammodo inflammari ad virtutem, & gloriam inquiebat. quæ omnia repetita sunt Historiæ Neapolitanæ Lib. VI. *Auctoribus vernaculis. Studium Alphonsi æmulata est domus Medicæa, illa Musarum, domus an templum? cuius rei testem habemus oculatum Philippū Cominæum L.* VII. *C.* IX. *Hist. qui recenset Numismatum aureorum tria millia, præter vasa cælata e Gemmis, & argenti antiquitus signati magnam vim. his in Italia nostra principibus viris succenturiabam ego Ioannem Marcanouam Medicum nostratem, qui magno ausu Bibliothecam instruxit Codicibus scriptis, veteribus Nummis, & inscriptionibus antiquis, quas ex Italia, & alijs regionibus magno numero conquisiuit, & accuratè descriptas coniecit in librum, quem Anno* MCCCCLXV. *ipse inscripsit Malatestæ Nouello Cæsenæ Principi, inchoatum Patauij, perfectum Bononiæ. vidimus autem tu, & ego non semel apud Clarissimum Virum Io. Vinc. Pinellum, qui commodato acceperat a Cano. Regul. S. Io. in Viridario, quibus Marcanoua illum olim cum reliqua Bibliotheca legauerat. Et*

ſanè Mattheus Boſſus Canonicus Regularis. in Recuperationibus quas vocauit Feſulanas, Epiſt. XX. *ad Ioannem ipſum ſcribens, hæc habet* numiſmata hæc ego Ioannes ad voluptatem vbi ſatis ſum conſpicatus, cæpi de te mox cogitare, qui ante omnes viſus es mihi eo munuſculo dignus, quippe qui ſoles poſt Philoſophiam, & ornamenta doctrinæ, pictura, & illuſtrium virorum imaginibus mirè equidem delectari, & poſt ſtudia litterarum intentionem, & animum circa egregia hæc antiquitatis monumenta remittere. *Hæc ille. proximum Ioanni Marcanouæ ego ſtatuo Andream Mantineam, Patauinum, Pictorem magni nominis, qui Picturam ad antiqua decora iuſsit adſpirare. hic vt graciles, iciunas, & exuccas pingendi rationes traduceret ad illam viuidam, vegetam & florentem, qua ipſe vſus eſt, ſubſidiariam Vetuſtatem aduocauit. in qua ſanè nihil prætermiſit, modo eſſet alicuius uenuſtatis, quod non conuerteret in proprios uſus. refertæ ſunt eius tabulæ Vaſis, Armis, Veſtibus, Parergis petitis ex uberrimis antiquorum promptuarijs. Et hinc factum eſt, ut Felix Felicianus Veronenſis colle-*

collectas magno numero ueteres inscriptiones uni Mantineæ dedicaret, cum hac Epigraphe.

ME
REN
TI.
PICTORVM PRINCIPI
AC VNICO LVMINI
ET COMETÆ MAGNIQ;
INGENII VIRO ANDREÆ
MANTEGNÆ PATAVO AMI-
CORVM SPLENDORI
FELIX FELICIANVS SALVTEM

Incidere autem hæc in Annum MCCCCLXIII. *Mantineam excipit Iocundus Veronensis magna doctrina uir. qui ut fuit familiaris magni Laurentij Medicis, ita animum applicuit ad hæc studia, coegitque in unum ueluti corpus MM & amplius veterum Inscriptionum ut testatur Politianus Miscellan. C.*LXXVII. *quod annis præteritis extabat apud Stephanum Magnum Patritium Venetum, cuius illa præcipua laus fuit apud Onuphrium Panuinium, In fin.* II. *Com. in Fastos, ut ueterum Imperatorum seriem integram, & accuratam constitueret. Ceterum ipsi Iocundo certum est debere nos*

accuratam editionem Cæsaris Commentariorum: Vitruuij insuper, Frontini, & Catonis; vt non immerito Budæus Lib. de Asse, Antiquariorum diligentissimum appellarit. Pyrrhus demum Ligorius Neapolitanus & Aeneas Vicus Parmensis gemini Soles præluxerunt uetustati illustrandæ. ille in XL. *Libros coniecerat quidquid peruenerat ad nos a uetere æuo. meminitq; ipse huiusce laboris a se exantlati, productique a Saturno Rege Italiæ ad Iustinianum usque Augustum, in Libello Italice scripto editoq; cui titulum fecit antiquitates Romanas. hinc illi iure, & merito obtigit, vt à doctissimis Viris ipse calamo, & penicillo præstans, honorificentissimis Elogijs appellaretur, ab Onufrio Paninio, a Hieronymo Mercuriali, ab Antonio Augustino, & Stephano Pighio. verum huius libri lucem publicam non aspexerunt; & cum magno quidem rei litterariæ detrimento. Vicus felicior fuit, vt qui studiosis approbantibus, & latinè, & Italicè multa ediderit manu plane sollerti, multa docto calamo edita interpretatus sit, quibus & Italiã, & Germaniã, & Galliam, & Belgium assurgere par est. hæc ad te pluribus Vir amicissime de hesterno*

ser-

sermone, & quidem huic Epistolæ consignata esse volui, vt meminerint qui profecerunt in hisce studijs, debere se præstantium Virorum memoriæ gratum ad minus animum; & curent vt in seriem aliquam temporum, & nationum redigantur aliquando quot quot hanc nostram Spartam qua opera, quà scriptis vbi que gentium exornarunt. Vale tu, & me ama.

L. P. IO. VINCENTIO PINELLO VIRO NOBILISSIMO.

Epist. IV.

HEsterna die, domi tuæ V. Clarissime, ostendisti mihi e Thesauro Bibliothecæ tuæ Epistolas Ouidij, calamo descriptas, quas nescio quis prosa Oratione Italicè transtulerat; dicaueratq; Alisæ Peruciæ matronæ Florentinæ. is in Prologo ad Epistolam, Phædræ nomine conscriptam, aiebat suum nomen Hebraicè sonarè Os Lampadis, bocca di Lampana. *subdidi ego tunc, habere me in Aduersarijs nescio quid annotatum, quod huc pertineret. tu, vt me amas, hortatus es, vt describerem quidquid id esset. ego recepi*

me facturum, vti planè nunc facio. Arator Diaconus, Lib. 1. Actor. Apostolicor. Pag. CCLIII. *editionis Tornæsianæ hæc habet.*

----impone Philippum
Lampadis os quod Hebræus ait, qui mētis honorē
Nomine teste probat-----

Sedulius etiam in Collectaneis ad Epistolas D. Pauli in fine Epistolæ ad Romanos, in congerie nominum quorumdam Latinorum & Græcorum, quibus Etymon Hebraice adsignatur, hoc refert, Philippenses os Lampadum. *Itaque dicemus huic interpreti fuisse nomen Philippo. quod autem ille subnotat hoc nominis græcè significare custodiam amoris,* Guardia d'Amore, *hoc fateor me penitus ignorare. Philippus enim (quod ego sciam) Græcis etiam ipsis amator Equorum est, vt habemus apud Ocellum Lucanum, de vniuersi natura, ad finem. Ideoque videtur Philippus Macedonum Rex in Nummis argenteis, cuiusmodi ego grandiorem alterum & alterum minutum penes me habeo, Equitem sibi se posuisse: vnde forsan factum nomen nummis Philippeis, ab Equite magis, quam a Philippo. Hæc mihi suggesserunt Aduersaria mea Vir Clarissime. Ea Tu si æqui bonique consules, quidquid alij*

carpant

carpant minus morabor. Vale ex Biblioth. VIII. *Idus Ianuar. MDXCIX.*

L. P. MARTINO SANDELLIO I.C. ET VIRO REVERENDO.

Epist. V.

VIdebamus nudiustertius (si rectè meministi) Dactyliothecam Abrami Gorlei. & in ea mirabamur copiosam, & uariam segetem antiquæ, & penitus repostæ Eruditionis. Detinuerunt nos tunc præcipuè duo typi expressi ex antiquis gemmis onychinis: alter fuit ex Annulo CXXXII. *alter ex gemma excluſa* XLII. *in illo cernere erat duos Cupidines, quorum alter alterum retortis post terga brachijs tollebat sublimem; cui pila satis grandis adstabat ad pedes. in hoc gemini item Cupidines se componebant ad luctam, vel ad saltationem. Tu mihi continuo eam prouinciam delegabas, vt ad te scriberem quid hæc porro significarent. fuit Venus (vt nosti.) teste Poeta.*

Mater sæua Cupidinum,

licet Philostratus in Iconibus velit genitos a Nymphis. at duo præcipui e grege tot natorum a veteribus numerantur, EROS, *&* ANTEROS. *hi expressi sunt in Gemmis, quas videmus, & in Nummo Gentis Iuliæ apud Nummographos, Veneris genetricis curru trahentes. quæ ideo ab Ouidio.*

----geminorum mater Amorum

appellatur. Erota & Anterota descripsit Eunapius euocatos a Iamblicho, magico carmine, e calidis fonticulis Gadarenis in Syria. Anterotem Pausanias conantem extorquere Palmæ termitem Cupidini de manibus describit Lib. VI. Editionis Amaseanæ, Pag. CCXLV. *lin.* 17. *qui etiã alibi Anterotis meminit. His duobus tertium accensẽt Seruius doctissimus Grammaticorum, ad Lib. IV. Aeneidos, cuius hæc sunt verba;* nam, & amatoribus præesse dicuntur EROS, ANTEROS, DYSEROS. nonnulli Nemesin significari putãt nonnulli ANTEROTA. inuocabat contrarium Cupidini, qui amores resoluit: aut certe cui curę est iniquus amor, scilicet vt implicet non amantem. Hic etiam Athenis coli dicitur. *Hæc Seruius, apud quem vulgo legitur*

LY.

LYSEROS omnino male. At quod de Athenis innuit, explicat Pausanias in Atticis. neque vero iure notatur Seruius ab Aenea Vico, & Cælio Calcagnino, quod Anterotem Eroti contrarium dixerit; hoc enim non affirmauit: & si affirmauisset poterat semet tueri auctoritate Pausaniæ. At quid sibi volet illa Pila? Dauus sum ego; non Oedipus, & Tripos ille meus NON VNO RESPONSO ANIMVM DELVSIT, vt nosti. dicam tamen Scalptori gemmario eam fuisse mentem, vt innueret Amorem ex confusa deformitate Vniuersum effigiasse, circunfuso Chao sublato, quod erat commune totius Mundi sepulcrum. hui tragicè satis inquies, & extra familiaris Epistolæ modum. atqui scias hæc esse Luciani, & quidem in Amoribus, quos quidem ille græcè ΕΡΩΤΕΣ *indigitauit. An vero huic explicationi adoptaturus sis tu cum aliquo risu modulum Calceorum Sycioniorum, ego quidem nescio, hoc vnum scio, non dedecuisse te hæc audire virum cordatum, & qui in intimum animi contubernium iamdiu admiseris, cælestis & diuini Amoris vim vniuersam; cuiq; præ Amore Veri omnia omnino sordeant.*

Hæc

Hæc tibi dictabam studiorum in carcere paruo,
Excepto quod non simul esses, cetera lætus,
Kal. Februar. MDXCVIIII.

L. P. IOANNI MANGANO ERVDITISSIMO ADOLESCENTI.

Epist. VI.

ET meritò quidem admirabamur Græcos die hæsterna apud Dominum Pinellum, qui Athletas tanto in precio haberent. nosti illa Vitruuiana; Lib. IX. *in princ.* nobilibus Athletis, qui Olympia, Pithia, Isthmia, Nemea vicissent, Græcorum maiores ita magnos honores constituerant, *&c. Quæ admiratio ipsum etiam Aristotelem Probl. sect.* XXX *tetigit, quærentem cur veteres præmia certaminibus corporis decreuerint, scientiæ non item. & sanè saginatos illos, & bene curata cute, vt Reipublicæ inutiles non magni fecit Solon apud Diogen. Laert. quod essent cum exercerentur sumptuosi, & cum vincerent pernicioſi. Carnuoros illos effecit Pythagoras, cum antea lacte*

cte, caseo, ficubus aridis vescerentur, si Porphirio Lib. I. de Abstin. credimus, quod & Plinio Lib. XXIII. Cap. VII. visum est: si tamen apud ipsum ille Pythagoras (cuius meminit) philosophus est, ac non potius Exercitator quidam, vt & ipse vocat, cui id nominis obtigerit. verum & Philosophus ipse carnes esitabat, & nullo sæpius legumento vtebatur: quam fabis, vt ex Aristoxeno docet Gellius: Lib. IV. Cap. XI. vt ridendi videantur qui secus tradunt, & de Pythagoræ Sectatoribus tradit Porphyrius, cum Dijs facerent, ab animatis non omnino abstinuisse. hæc ad te raptim mi Ioannes, vt tu pariter hisce diebus, quibus omnes insanimus, Pythagoræus sis vel potius Apicianus & hic, & in Patria, quam te cogitare die crastina audio. interim ego te SALVVM IRE SALVVM REDIRE *precor e vetere formula. in Bibliotheca, domi. MDC. ipsis Liberalibus, quæ Cereris & Bacchi certamina sunt, vt coronam accipiat Venus. probè enim cecinit Auctor sacrorum Fastorum.*

Vere dapes Cereri agrestes, patriq; Lyæo
Forte dabant: fuso per sua festa mero.
Dumq; dabant, liquidis coelabant fecibus ora

Cor-

Corticeue aut Minio per loca ludus erant.
At hæc ferenda erant, nisi lateret nequitia sub laruis.

---facies velata pudorem
Significat læsum, sciri lasciuia non vult:
Ora tegit, scelus est pauidum, metuitq; videri,

vt scribit Poeta non omnino malus. Tu vale iterum & tertio, pugilice & athletice.

L. P. FANCISCO VIDVAE

PHILOSOPHO ET IVRISCONSVLTO V. EXCELLENTISSIMO.

Epist. VII.

QVæris ex me (Amice) peramanter vt soles, cur ego COELVM scribam, non CAELVM vti omnis Antiquitas, cuius me studiosum esse ais, consueuit. ego primum respondeo, non esse me sepem, aut macertam rectæ scriptionis: deinde esse mihi in promptu non leues causas, propter quas ab Antiquitate in hoc vno recedam. Vt enim omittam fuisse aliquos, qui CELVM scriberent, vt testatur Ioannes Genuensis in summa, quam ipse nominauit Catholicon, cuius

rei

rei extat vestigium apud quosdam e nostris vernaculis canendi magistris. * *Rationes meæ huiusce Ortographiæ nituntur magnorum virorum auctoritati, qui ita senserunt. Varro Libro IV. de L. L. scribit,* ego magis puto a Chao cauum: & hinc Cœlum; quoniam, vt dixi, Hoc circum supraq; quod complexu continet terram, cauum Cœlum. *esse autem cauum* ΚΟΙΛΟΝ *græcè omnes sciunt. indeq; factum* COELVM *quia* OI *græcum transit in* O E *latinum. Germanicus Cæsar Domitianus, in Phænomenis Arateis ex editione Hugonis Grotij V.Cl. Pag.* 111.

* il Celo.

ARCTOE ET DRACO.

Et Pag. subsequente

Oceani tumidis ignotæ fluctibus Arctoe.

quod grecè erat ΑΡΚΤΟΙ *ad eandem rationem* ΚΟΙΛΟΣΥΡΙΑ *nobis est Cœlesiria, quam nonnulli appellant, si rectè memini, Syriam cauam. vt Festus Auienus & Priscianus* ΚΟΙΛΙΑΚΟΣ *Coeliacus* ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ *Proemium:* ΟΙΚΟΝΟΜΙΑ *Oeconomia* ΟΙΚΟΣ *Oecus, qui legitur apud Vitruuium Lib.* VI. *& Plinium Lib.* XXXVI. *Cap.* XXV. *Et sanè*

Pli-

Plinius videtur memoria lapsus, qui Lib. II. *Cap.* VI. *hæc habet.* Cælum haud dubie cælati argumento diximus, vt interpretatur M. Varro. *non enim ea fuit Varronis sententia, sed Aelij Galli. quod & fefellit Aldum Manutium in Orto-graphia, verbo COELVM. Auctoritati Marci Varronis doctissimi Togatorum accenseo ego sententiam Ios. Scaligeri neotericorum eruditissimi, qui in Etymologijs verborum ad Varronem, hæc habet* CEOLVM ΚΟΙΛΟΝ. *Hæ sunt Bases, hæc firmamenta sententiæ meæ, quam, si tu multæ lectionis & politissimi iudicij Vir non improbaueris, ego sanè in posterum & probabo & ratam habebo. Ad Cilicium quod attinet, de quo exquirebamus, an esset vox ab antiquitate repetita, aio esse. Seruius ad illud* III. *Georg.*

Nec minus interea barbas, incanaq; menta
Cinyphij tondent hirci, setasque comantes.

Vsum in castrorum, & miseris velamina nautis *Scribit*; & bene laudat Capellas, dicens Ciliciorum vsum, & in mari, & in terra prodesse mortalibus. *& hunc Virgilij locum non infeliciter expressit Festus Auienus in descriptione Oræ maritimæ.*

Hirtæ

Hirtæ hic Capellæ, & multus incolis Caper
Dumosa semper intererrant cespitum
Castrorum in vsum, & nauticis velamina
Productiores & graues setas alunt.

Prudentius, in Hymno Ieiunantium.

Squallent recincta veste pullati Patres,
SETASQ. plangens turba sumit TEXTILES

Alcimus Auitus in eodem argumento, pœnitentiæ Niniuitarum.

Mollibus abiectis Cilicum dant tegmina setæ.

Hic ego pensum, quod Tu imperaueras, absoluo; petoque inuicem vt mei te memorem præstes, & die crastina ad conductum adsis, inspecturus nimirum Nummos aliquot veteres, qui res nostras Patauinas tangunt. Vale. e Musæolo meo. Kal. Nouemb. MDC.

L. P. IACOBO CAVACIO

MONACHO BENEDICTINO,

CONSODALI MEO VIRO ERVDITISSIMO.

Epist. VIII.

BVllas æreas, quas heri spectabas apud me, in Bibliothecula mea, dicebam tibi

Ima-

Imaginem referre vnius ex Gorgonibus, Meduſæ videlicet. tu quærebas in quo vſu hæc imago apud antiquos fuiſſet. ego reſpondere diſtuli, vt ſedulo quererem. inueni autem appoſitam fuiſſe Aegidi, quæ pectus Palladis tegebat, vti oſtendunt ſigna antiqui operis Romæ, & alibi. a Pallade tranſiuit aliquoties ad Auguſtorum ſimulachra, quæ illi æquè ſacra eſſe volebant ac Palladem ipſam. Mars etiam ipſe hoc emblemate noluit carere loricam ſuam, vti procliue eſt cernere Romæ apud Maximos, in elaborata illa ſtatua, quam penè omnes Antiquarij Pyrrhi Epyrotarum Regis vocitant, non ferendo errore; qui doctiſsimum etiam virum, & harum elegantiarum peritiſsimum Fuluium Vrſinum decepit in Illuſtrium Imaginibus. Pyrrhi enim imago imberbis & diademata cernitur in Nummo argenteo quinque, vel ſex Dracmarum, cuius mihi Ectypon comunicauit Vir nobiliſsimus idemque doctiſsimus Nicolaus Fabricius Chalaſius, tibi etiam probè cognitus. ab hiſce Superum religionibus tranſiuit hæc Larua ad ſacra inferorum; quod etiam politiſsimo Alciato in Emblematis obſeruatum eſt. & ſanè ego non ſemel obſer-

ſer-

naui apud Baſſanos marmor antiquum inſignitum memoria Clodiæ neſcio cuius Thaidis in qua Gorgon, Catelli, & Delphines parerga ſunt ; ornamento & expreſsioni fati & amoris , ſiue philantropiæ . Verum hanc Gorgonis faciem nemo melius expreſsit (mea quidem ſententia,) quam Virgilius ipſe quatuor illis carminibus, quæ ille Lib. VI. *inſeruerat , & notat Seruius Petri Danielis .*

Gorgonis in medio portẽtum immane Meduſę,
Viperęæ circum ora comæ cui ſibila torquent,
Infameſq; rigent oculi, mentoq; ſub imo
Serpentum extremis nodantur vincula caudis.

Tu interim vale. domi MDCIII.

L. P. PROSPERO ALPINO
MEDICO PRAESTANTISSIMO.

Epiſt. IX.

ITa prorſus fuit velut heri diſſerebamus in Horto publico apud Te . Medicum olim commendabat , ſi Alexandrinæ ſcholæ ſe alumnum profeſſus eſſet . & ſanè luculenter hoc indicant Ammianus Lib. XXII. *pro omni experimento dictitans ſufficere Medico,*

si Alexandriæ sic dixerit eruditum. Cuius Academiæ professores Magnum Eunapius, Agapium Suidas, alij alios pergunt enumerare. Alexandrinam autem Academiam excepit nostras Patauina in hoc genere laudis. cum abundè constet, Medicum apud nos Doctiorem consecutum maioris fieri, quam alterum qui alibi. At Petrus Bellonius Lib. II. *obser. Cap.* XIX. *videtur asserere Alexandriam Troadem celebrem hoc studio fuisse. quod sanè nos alijs disquirendum relinquimus. Eiusdem vrbis peculiare præconium fuit (vt tu optimè nosti) nullo penè die solem serenum non videre. quod quidem Ammianus auris salubriter spirantibus, & aeri tranquillo & clementi videtur adscribere. fecit autem hæc cœli clementia vt esset formosissima vrbs, quod testantur Dion Chrysostomus, Achilles Statius, & Aristides. ad hæc, & incolis refertissima, vti tradit Historia quam vocant Tripartitam Lib.* I. *C.* XII. *ideoque turbida, & seditiosa, vt appellat eadem Historia Lib.* XI. *Cap.* XI. *quod nec Ausonium latuit in Catalogo Vrbium nobiliorum. ideoq; factum ego crediderim, vt Ciuitas Alexandrina ex constitutionibus Principum*

cipum non temerè daretur, vti quidem asserit Plinius Lib. X. Epi. V. plebi enim amenti, qualem predicant Spartianus in Saturnino; & Herodianus Lib. IV. vires accidendæ erant, non augendæ. at præter hæc omnia Sarapidis fanum Alexandriam eo extulit, vt esset alter Orbis terrarum sed sacer, vti perhibet Eunapius in Aedesio. hinc est, vt in nummo æreo Constantini apud me, Genius, Sarapidis caput manu ostentans, subscribatur ALE. id est Alexandria. Et hæc omnia scripta sint vir clarissime in tui gratiam, qui tot annos publico studiosorum commodo, Alexandrino secessui impendisti. Vale domi MDCIV.

L. P. CAESARI NICHESOLAE

CANONICO ET PATRICIO VERONENSI

VIRO CLARISSIMO.

Epist. X.

RECTè monebat domi tuæ nudiustertius Vir eruditissimus Ptolemæus Oliuetus, manisse apud nos a primæuo ferè Antiquitatis ritu, vt numen venerantes manum ori admo-

ueamus . Minutius Felix in Octauio . Cæcilius simulacro Serapidis denotato *(* vt vulgus superstitiosus solet *)* manum ori admouens osculum labijs impressit. *& hoc fuit in conspectu salutationes facere, vti notat Vitruuius Lib.* IV. *Cap.* V. *quod etiam Demostheni ansam præbuit, vt Antipatrum hiantem deluderet, vt narrat Lucianus Encom. Demosth. in fin. ille enim manum ori admouens, tamquam Deum salutaturus, simul & venenum hausit, occubuitq; illico . & hæc fuit apud veteres perfectæ precationis clausula, vti scribit idem Auctor in Commentariolo de saltatione : vbi Indorum preces, cum Græcorum veneratione componit . Verum, & illud obseruatione dignum est, in precibus & gratulationibus consueuisse veteres signorum mentum osculari; vt de æreo simulachro Herculis Agrigentini testatur Orator, Lib.* IV. *in Verrem, cuius mentum & rictus ea de causa paullo essent attritiora . vestigia etiam Isidis (vt etiam aliquid de Aegyptiacis meis permisceam) argento formata; osculis patebant, vt inquit Appuleius Lib.* XI. *quæ sanè quouis pignore contenderim a malis Genijs producta, vt æmularentur vesti-*

gia

gia Saluatoris, quæ Hierosolimis etiam nunc (vti tradunt viri fide digniſsimi) comparent. quod & Deus Opt. Max. indulſit Iuſtinæ Virgini Patauinæ, & Proto-martyri noſtræ, cuius genibus, & digitis marmora alioqui duriſsima ceſſere: veluti Veneti oſtendunt; & nos alias oſtendebamus in vetere columna, quæ temerè, ne dicam impiè, in alios vſus coniecſit. & ſanè antiquus ſcriptor Itinerarij Hieroſolymitani adnotat in templo Salomonis ſuo æuo paruiſſe vestigia clauorum militum, qui Zachariam occiderunt, in totam aream, vt putes in cera fixum eſſe. Hæc ad te pluribus Vir Clariſsime, & quidem Auguſti exemplo, cuius tu Principis Genium & merito veneraris. ille ſermones cum ſingulis non niſi in ſcriptis, & e libello habebat inquit Suetonius Cap. LXXXIV. *Vale. Veronæ, penè in procinctu. MDCV.*

L. P. ANGELO ROCCHAE
EPISCOPO TAGASTENSI, SACRARII APOSTOLICI PRAEFECTO VIRO REVERENDISSIMO.

Epiſt. XI.

Bibliothecam tuam Angelicam Vir Reuerendiſsime ego multis nominibus ſuſpi-

cio. tum quia Libris referta est optimis ad miraculum vsq; tum quia Tabulis abundat Cosmographicis; Geographicisq; summo artificio elaboratis. ostendebas tu quæ tua est humanitas mihi & Andreæ Victorello Bassanensi sodali meo veterem Mappulam Orbis calamo descriptam, & coloribus distinctam; quam dixi ego a veteribus fuisse assimilatam Fundæ. recitauiq; protinus carmina Prisciani, quæ sunt in principio Periegesis.

Non tamen assiduo teres vndiq; margine circum
Clauditur hæc, bifido sed brachia Littore pandēs
Arctatur rapidos cursus ad Solis vtrinque
Assimilis Fundæ----

tuillico annotasti brachia Fundæ, veluti nostrates Pueri gestant. subieci ego fundam fundo perforato fuisse, vti habent festiua carmina vel Ciceronis, vel Laureæ Tullij, edita a Pitoeo Epigrammatum veterum Pagina XXX.

Fundū Varro vocat quē possim mittere Fūda,
Ni tamen exciderit qua caua Funda patet.

Et profecto obseruatum mihi est, veteres consuesse res minus notas notioribus assimilare, eo consilio, vt per eas res, quas Natura uel Ars frequenter pariunt, infrequentes res inno-

note-

noteſcerent. exemplo ſint Europa & Lybia, quas Auienus Nuci pineæ comparauit.

Aequus vtrimq; modus protēditur vt ſimul ambas
Si conferre ſibi quiſquam velit, vna parum per
Vt credatur humus, medijq; interflua ponti
Subtrahat exemplo quali nux Pinea forma eſt.
Singula verſanti talis ſuccedat imago
Europæ, & Lybiæ.

Item Peloponneſus Platani folio, apud eundem Auienum.

Inſula ſe rurſum Pelopis viſentibus offert,
Inſula, quæ Platani folio compar ſedet--

Pontus Euxinus Arcui Scythico apud Pomponium Melam Lib. I. C. XIX. India Rhombo, eodem Auieno teſte,

---latera agris vndiq; in Indis
Quattuor eſſe tene: coeant tot & anguli ab omni
Parte ſibi obliquo claudentes extima terræ
Ceu ſpecies rhombo eſt

Montem Calpen Vrnæ ſimilem facit antiquus Grammaticus ad Sat. XIV. Iuuenalis. Quinimo & artificialia quædam in more habuerunt phyſicis rebus, quarum ſpecies perennant, exprimere, veluti diuinantes illa non æternum manſura. ſic Athenæus Lib. III. in princ. Petaſum comparat folio Fabæ Aegyptiæ. ſic Plinius Lib. XXIV. Cap. XV. pedes Lectorum fle-

ri Clinopodij, siue Ocymoidis. sic idem Lib. XVIII. *Cap.* 1. *Sicas Aprorum dentibus, vnde sicarij: & eiusdem figuræ cultelli, quibus nostri Cerdones vtuntur, & uocant* Trincietti. *sic idem Auctor Lib.* XXV. *Cap.* XI. *personas Comicas Lonchitidi. ita Lib.* XXIV. *Cap.* XV. *Penularum capita Centunculo; & eiusdem generis innumera, quæ Plinius, qui fuit Naturæ a secretis, sollerti indagatione peruestigauit. unde etiam factum est, ut recentiores quidam Europam ingenioso commento Reginæ stantis figura expresserint, & uniuersum Belgium Leonis icone. Vale Vir. Reuerendiss. & bonarum Litterarum amantissime. in Vrbe, hoc anno turbulento. MDCVI.*

L. P. VINCENTIO CONTARENO

HVMANIOR. LITTER. PROF.

VIRO EXCELLENTISSIMO.

Epist. XII.

SPectabamus hesterna die, domi meæ Capsulam Numismatum argenteorum, in qua nummi duo satis grandes, & qui multas

tas drachmas penderent, artificij, vt videbatur Græcanici, oculos tuos, V. Cl., allicuerunt. in eorum alterius & quidem grandioris aduersa facie, suspiciebamus caput muliebre, & forma satis luculenta, cuius capillos ambiebat corona ex harundine satis conspicua; alludentibus in gyrum quattuor piscibus, qui figura Delphines referebant. in facie aucrsa decurrebat Quadriga, quam Agitator moderabatur. superne Victoria sertum explicabat Agitatori ueluti impositura. inferne thorax, & Casis cum Crista. Nummus minor aduersus erat penè idem, uenustioris tamen conformationis, & conchula, præter pisces, auctior. auersus ostentabat caput acris Equi, *ut inquit maximus Poetarum, cui ponè arduam ceruicem assurgit Palma, notatis infra notis ignotis quibusdam. rogabas tu me, ut eos nummos proferrem in lucem Litterarum, instructum (ut aiebas) ea notitia, quæ huiusmodi argentea ænigmata, ut inquit Prudentius, possit explicare. ego sanè, ut ut me nouerim nec parem existimationi tuæ, nec ijs opibus firmatum, quas reposcit hæc ornanda Sparta, morem tamen geram, & obsequar amori in me tuo. Num-*

mos

mos ego censeo percussos fuisse Syracusis in Sicilia. caput mulieris refero ad Arethusam Nympham illam celebrem, & decantatam, cuius fontis meminit Cicero in Verrem Lib. IV. in hac insula extrema (*inquit Orator*) est fons aquæ dulcis, cui nomen Arethusa est, incredibili magnitudine, plenissimus Piscium: qui fluctu totus operiretur, nisi munitione, ac mole lapidum a mari disiunctus esset. *neq; vero nouum est Fontes, & Fluuios ab antiquis sub humana specie fuisse cultos. Aelianus enim Lib.* II. *Var. Histor. Cap.* XXXIII. *refert Syracusanos Anapum viro assimilasse, Cyanen foeminæ: ambos fontes. Et quid si Cyane comparet in ipso Nummo? ast ego ad Arethusam inclino, suadente Ouidio Lib.* V. *Metamorph.*

---quarum Dea sustulit alto
Fonte caput, virideſq; manu siccata capillos

en tibi quod dicebamus de harundine capillis intertexta. pergit,

Sed quãuis formæ nunquam mihi fama petita est.
Quamuis fortis eram, formosæ nomen habebam.

& vero facies huiusce nostræ formosissima est. Hinc porrò factum est, vt Syracusas

Are-

Arethusidas vocet idem Ouidius Lib. IV. *Fastorum.*

Vtque Syracusas Arethusidas abstulit armis
Claudius-----

Pisces, qui caput includunt a verbis Ciceronianis lucem accipiunt. de quadriga satis superq; alij. Caput Equinum in minore Nūmo, Palma, & Notæ ad Poenos proculdubio referenda sunt. illi enim Siciliam ad se pellicere non semel & foederibus & armis conati fuerunt, sed parum felici conatu. de hoc Equi capite Virgilius in I. *Aen.*

Effodere loco signum quod regia Iuno
Monstrarat caput acris Equi----

ad quem locum egregiè Seruius, & Iustinus Lib. XVIII. *& Eustath. Dionysij enarrator, a quo & Stephano mutuantur viri docti (vt tu optimè nosti) interpretationem notarum peregrinarum: vt significent* KAKKABH, *quod Punice caput Equinum est. Et mirum sanè videtur, æmulas vrbes, in fundamentis noui operis, caput esse nactas, Carthaginem primo bubulum, dein equinum: humanum Romam: hanc omine dominij, illam seruitutis missos facio Auctores, quos accuratissimus Rycquius de Capitolio Cap.* X.

con-

congeſsit, vnum aduoco Marcianum Capellam, apud quem Toli caput hactenus obrutum iacuit. in principio nimirum Libri III., *vbi de Grammatice hæc habet*; quę fœmina licet in Attica, vbi maiore æui parte floruerat, ſe aſſereret incedere palliatam, tamen ritu Romuleo, propter Latiale numē, & Toli caput *(mendoſa fuerant hucuſq; illa*, & olim caput*)* propterq; Martiam gentē, Veneriſq; propaginem, Senatum Deum ingreſſa eſt penulata. *At cur fuit Toli caput ſolum ſine partibus ceteris? cur litteris Thuſcis notatum? de ſolo capite non vtiq; certum Arnobio teſte, imo cum membris omnibus humationis officia ſortitum ſunt qui aſſerant. Litteras Tuſcas ego refero ad Aruſpicinæ ſecretum, vt fixa obſignati ominis (inquit Arnobius) perpetuitas ſtaret. penes Etruſcos nimirum portentorum diſciplina erat; & Romani pueros ſuos curabant illa diſciplina imbui, & illis Litteris erudiri, vt Liuius noſter Lib* IX. *& Val. Maximus Lib.* I. *Cap.* I. *tradiderunt. Neq; vero nouum omnino fuit, abiunctum a reliquo corpore caput humari. ſi quidem teſtatur Pauſanias Lib.* II. *Aegypti filiorum ſolitaria capita, alicubi condita*

eſſe

esse. Et caput Pompei seorsum a trunco est crematum. At hæc ego ad Te? me ineptum prorsus. qui non videam hoc esse Samia Samum comportare. Tu, sat scio, parces studio discendi, & me amabis, vti ego Te incessanter. Vale. e Bibliothecula nostra, VI. *Kal. Mar. MDCIX.*

L. P. ANDREAE CHIOCCO MEDICO ERVDITISSIMO.

Epist. XIII.

IN veterum Analectis V. Cl. Aesculapius vester figuratur magna barba, palliatus & cum baculo, cui serpens inuolutus est. Barba sanè innotuit ex impio facto Dionysij Tyranni, qui Epidauri Aesculapio auream adimi imperauit, causatus patrem Apollinem imberbem conspici vt scribit Valer. Max. Lib. I. *Cap.* 1. *& ex huius nebulonis præscripto videtur effectum antiquum sigillum quod est apud me, Aesculapij imberbis. incedebat autem Pallio caput velatus; quod & Romæ mihi obseruatum est, in statuis & veteribus Nummis. de baculo & Serpente Appuleius Lib.* 1. *Metam.* dice-

res

res Dei medici baculo, quod ramulis semiamputatis nodosum gerit, serpentem generosum lubricis amplexibus inhærere: *Neq; vero serpentem generosum quod vocat id frustra est. Ouidius enim Lib.* XV. *Met. Aesculapium in somnis loquentem inducens, hæc canit*

Hûc modo Serpentẽ, baculum qui nexibus ambit
Perspice, & vsq; nota----

vult perspici & notari qui non de grege serpentum, sed Draco fuit, vt notauit Festus duobus in locis. ideoque cecinit Lucanus. Lib. IX.

Vos quoq; qui cunctis innoxia numina terris
Serpitis iurato nitida fulgore dracones.
&c.

& serpentem Epidaurium apud Horatium, Lib. I. *Sat.* III. *Draconem explicant Interpretes. At de Epidaurijs quidem Serpentibus insignis extat locus apud Pausaniam in Corinthiacis, qui, & multam lucem Lucano afferet, veluti & Aelianus in Histor. Anim. Lib.* VIII. *Cap.* XII. *qui etiam Pariam, seu Paruam ex Apollodoro hunc Aesculapij serpentem vocat; cuius quoq; fortasse meminit & Suidas. verum de Draconibus hactenus,*

de

de quibus accuratè & copiosè disquirit, vt solet Velserus noster, illud margaritum Germaniæ suæ, in Commentario ad Conuersionem S. Afræ. Pa. XXXII. 6. *Aesculapius sanè ipse vicarium suum Anguem Romam misit seu itare passus est, vt tu probè nosti. & festiuus profectò est Acron Grammaticus, Lib.* V. *Sat.* III. *Horat. qui scripsit, Romanos Epidauri, incertos ob multitudinem simulachrorum quod potissimum deligerent, Anguem recepisse. Romæ in Insula Tiberina quibus honoribus cultus fuerit etiam hodie loquuntur antiqua monumenta Græcarum Tabularum, in quas relatæ fuerunt curationes illius monitu peractæ. de Epidauro ineptum est monere. Triccæ primum artis experimenta edidisse asserit Theodoretus Serm.* VIII. *ex Apollodoro. ideoq; eximiè etiam ibi cultus est cum filio Podalyrio, vt inquit Lucianus in Pseudomante. in Arce præterea Carthaginis Appuleio teste in Floridis & apud Aegeatas in Cilicia, ex Histor. Tripartita. Lib.* II. *Cap.* XX. Poenigenam *uero quod apud Virgilium est* Phoebigenam *satis nouè legit Lactatius Placidus apud Statiū* III. *Theb. quod esset Aesculapius per poenam matris natus*

Histe

Hiſce omnibus tu Aſclepiadarum præſtantiſsimè vel nigrum præfigas Theta, vel miniatam ceram imprimas, more Democritæo, imprimas, quæſo, vt etiam ego venire poſsim in plauſum Litterarum, veluti loquitur elegantiſsimus fabulator Phædrus. Vale Patauij Kal. Aug. MDCX.

L. P. MARCO VELSERO

II VIRO AVGVSTANO VIRO NOBILISS. ET ERVDITISSIMO.

Epiſt. XIV.

DVas hebdomadas rure moratus ſum V. Cl. vbi ſanè tantum ſolidæ voluptatis hauſi, vt cantillauerim ſæpè ſæpius cum Hiſpano.

Non amet hanc vitâ quiſquis me non amat opto
Viuat & vrbanis albus in officijs.

o Soles & Vmbras? illos puros & defecatos: illas amabiles & vitales. At tu cupies ſcire vbinam gentium Phæacia mea ſit. ego verò lubens indicabo. Arquadæ in Collibus Euganeis, vbi vir omnium ſæculorum memoria digniſsimus Fr. Petrarca, vixit olim,

& in

& in Cœlum euolauit . ego illius domum , cubiculum , mensam , sellam , sepulcrum ueneratione sum prosecutus . ibidem quamuis nec fonte labra proluerim Caballino , nec in bicipiti somniauerim vnquam Parnasso , repente tamen Poeta prodiui , ceciniq; carmina , quæ tu videbis aliquando quum eris minus negocioſus . interim ex me cognosce rem auribus tuis dignam . Lacus est in ea regione ad radices Montis , non ita diffusus , quem indigenæ vocant la solana . *quem forte Martialis Lib.* IV. XXV. *innuit , quum scriberet .*

Quaq; Antenoreo Dryadum pulcherrima Fauno
Nupsit ad Euganeos sola puella lacus .

quid enim sibi vult hæc SOLA puella ? huius lacus alumni sunt Cephali pisces æquè sapidi ac illi e pelago , qui nobilitant Venetas coquinas . At vnde hæ raræ & peregrinæ delicie? num & ipsa Thetys rusticatur ? ita profecto est ; & Iunilius Episcopus Afer , Commentario in Geneſim rem , acu tetigit , cuius hæc sunt verba ; Bene autem cum multa esse constet maria , in locum tamen vnum congregatas dicit aquas , quia videlicet cuncta hæc iugi vnda atq; continua Ocea-

no, ac mari iunguntur magno. sed & siqui lacus in semetipsos videntur esse circumscripti, & hos ferunt occultis quibusdam perforatis cauernis in mare suos euoluere meatus. nam fossores puteorum hoc probant; & quia tellus per inuisibiles venas aquis repleta est manantibus; & quia trahunt ex mari principium. *hucusq; Iunilius. apud quem in disquisitionem venit mare illud magnum, cuius meminit. & censeo ego esse Oceanum Christophoro Columbo primitus intratum, cuius mentionem facit Festus Auienus in descriptione oræ maritimæ quam vocauit.*

---porrò in occiduam plagam
Ab his Columnis gurgitem esse interminum,
Latè patere pelagus, extendi salum
Himilco tradit----

antiquus autem Iuuenalis Interpres Sat. XIV. mare mortuum *appellat*, vltra quod nauigare non conceditur. *Huiusce te rei V. Cl. certiorem ni feciſſem perijſſet mihi omnino voluptas rusticationis meæ. tu quod perscripsi, altissima ista tua eruditione dignissimum, si perpenderis, & sententiam tuam rescripseris,*

ſeris, erit de quo te etiam duplo amem. Vale Patauij Kal. Octobris MDCXI.

L. P. ALOYSIO CORRADINO IV VIRO PATAVINO IVRISCONSVLTO, ET PHILOLOGO.

Epiſt. XV.

RArum profectò ſpectaculum eſt V. Cl. fragmentum illud Cryſtalli, quod Brutzius noſter inter præclara illa ſua Artis & Naturæ Cimelia oſtentat curioſis. Guttula illa aquæ (niſi nos oculus fallit) quæ Gemmæ penetralia obſidens ſalit ſemper vt cumqs vertatur Cryſtallus, me in eam ſententiam pene trahit, vt glaciem, & aquam putem eſſe quæ ſic indurueriť, & eam firmitatem acceperit. ſcio quidem recentiores aliter ſentire, & ſuccum neſcioquem in medium adducere, ex imis terræ penetralibus. at diuinus Scaliger in Exercitationibus aduerſus Cardanum hoc non ita facilè concedet. & Antiquitas quæ multarum rerum vſuperita fuit in meam ſententiam videtur incli-

nare. Iunilius Episcopus in Commentario in Genesim hæc habet; quæ enim crystallini lapidis firmitas, quæ sit perspicuitas ac puritas, nouimus, quem de aquarum congregatione certum est esse procreatum. *Claudianus insuper in Epigrammatis; quæ ad calcem Libri prostant, videtur eadem sensisse. vbi sane Critica animaduersione dignum est, quinque ad minus Epigrammata in vnum coaluisse, Librariorum supina negligentia. At lusisse Poetam versibus in eodem ferè argumento, quod nunc nos pertractamus, superuacuum est admonere. quid si Pilos, Festucas, Muscum virentem Cristallino lapidi vidisset inclusos, vt tu, & ego non semel vidimus? Hic desino, & te opto valere. Domi, postridie Cineralium. MDCXII.*

L. P. FRANCISCO POLAE IVRISCONSVLTO CLARISSIMO.

Epist. XVI.

CONquerebamur nudiustertius (& arbitror te meminisse) de hominis transalpi-

ſalpini faſtu, qui Italiam Galliæ plura debere, in hiſce politioribus ſtudijs noſtris pronunciauit. Is eſt Scholiaſtes Epigrammatum & Poematiorum veterum, quæ typis impreſſa ſunt Lugduni, Anno MDXCVI. *Dicebam ego non iure dictum videri. tu addebas rectè me facturum, ſi rationibus retunderem mendacium hominis. audi igitur illius verba. Pag.* DXCIII. Gregorius ſane Longus Sileſius, qui primus Gratiũ, Nemeſianũ, Calpurniumq; edidit, teſtatur deſcriptos de uetuſto exemplari, quod Actius Sincerus Sannazarius in Italiam trãſtulerat ex Gallia: cui & illa plura debet. *At tu homo multi iugæ Lectionis (Scholiaſten adloquor) an non meminiſti, Franciſcum Petrarcam a Guliel-mo de Paſtrengo Veronenſe petere per Epiſtolam Calpurni Bucolicum carmen? ea eſt in Libro Variarum* XXXIIX. *verba autem hæc ſunt,* expecto.n. Calpurni Bucolicum carmen, & tuam Varronis agriculturam. *An & tum Calpurnius e Gallia veſtra petebatur? non puto. Geminum omnino eſt quod Ioſephus Scaliger in veſtibulo Caſtigationum ſuarum Catullianarum ſcribit Catullum in Gallia fuiſſe repertum, additq; illum ip-*

sum, qui publicauit, Epigrammate id testatum fuisse. At, qui Epigramma conscripsit Guarinus Veronensis est, vti paret in vetere Editione Catulli, quæ apud me est. vbi legitur.

Hestichum Guarini Veronensis
Oratoris clarissimi, in Libellum Valerij
Catulli eius conciuis.

Ad patriam venio &c.
Neq; vero ille uersus
Scilicet a Calamis tribuit; cui Francia nomen,
aliam interpretationem recipit, quam a Francisco quodam repertum alicubi (& fortè in horreo) Codicem Catulli. Si Italus quispiam hæc enunciasset quantos clamores excitasset Scaliger? Si Italia Galliæ plura debet, non minora sunt, quæ hæc illi. Ego sanè scio Bibliothecam Ticinensem, nobile illud Vice-Comitum Ducum Mediolani monumentum, translatam in Gallias a Ludouico Rege, Anno MD. *Vrbem Blesensem nobilitasse, & Gallicanas Bibliothecas locupletasse, teste Leonardo Maniaco Lib.* IV. *Historiar. Et Anno* MDXII. *in direptione Vrbis Brixianæ, antiquorum numismatum eam copiam Gallis victoribus obuenisse, quæ doctos*

eius

eius Gentis Viros posset sollicitare ad ueterem Historiam illo adiumento exornandam. ita Franciscus Syluius Ambianas; in Scholijs ad Epistolas Politiani, fol. 81. Editionis Ascensianæ. Neq; uero ea mihi mens est, ut uelim detrahere nobilissimæ nationi, e qua multos amicos, eosq; primæ notæ, nactus sum, sed uolui nostris hominibus eam laudem sarctam tectam seruare quam si despiciam, neq; asseram, improbus intestabilisq; siem.

Nec vero terræ ferre omnes omnia possunt *ut cecinit maximus Poetarum. habent Galli laudes suas: habent Itali suas, quibus exteros homines acquiescere par est. Si enim dixero veteres Inscriptiones ab Italis primum collectas, ueluti a Cyriaco Anconitano, Ioanne Marcanoua Patauino, Iucundo Veronense, mendacium non dixero. si Nummos antiquos in pretio primum habitos a Medicæis contendero, nemo repugnabit opinor. Librorum & Bibliothecarum studium a prima origine si nostris adscripsero, recte fecero. uidit hoc Germanus poeta, eruditus sane & cultus*

Salue magna parens doctorum altrixque virorū,

Excultiqua nos erudiente sumus.
Induit ingenuos per te Germania mores,
Doctrinæq; tuis fontibus hausit opes.

Poteramus & nos iactare, Bobij, An. MCDXCIII. *repertos Rutilium Numatianum poetam, Satyram Sulpiciæ, Epigrammata aliquot, Terentianum Maurum, Cæsium Bassum, Velium Longum, Adamantium Martyrium, Probi Catholica, Cornelium Frontonem, Sergium Grammaticum, & alios non paucos, vt ait Volaterranus Lib.* IV. *Geogr. Pag.* XLV. *poteramus adscribere nostris hominibus Euresim (vt ita dicam) Quinctiliani, Asconij, Valerij Flacci, Silij Italici, atq; adeo Ciceronis ipsius non contemnendæ portionis. veluti asserit Blondus in Romandiola.* CCCXLVI. *poteramus Ausonium imputare Matthæo Bosso, Angelo Policiano, & Thadæo Vgoleto, cui etiam Martianum Capellam acceptum ferimus. Pandectas Pisanas & Florentinas, Bibliothecas Vaticanam, Medicæam, Ticinensem, Ariminensem, Venetam poteramus ingerere cum recentibus aliquot. verum abstinemus; & fatemur exornatam fuisse hanc Litterariam Spartam certatim a doctis hominibus. Et veluti omnes, qui in Orbe Romano*

mano olim erant Ciues Romani erant, ita nunc omnes qui Eruditionem amant Italiam amant, & assurgunt veteri Italorum, addo etiam recenti in Philologicis disciplinis dignitati. Neq; vero Itali non agnoscunt quantum laboris exantlauerint Trans-alpini omnes, quo studio & animi contentione accesserint ad politiora hæc studia per tractanda. omnes. amant, singulos diligunt: & vniuersos veluti Ciues vnius & eiusdem publicæ rei ex intimis animi sensibus amplectuntur. Hæc sunt mi Pola, quæ sine alicuius insectatione, in communi causa extare apud te volui. Tu qui nostros & exteros amas, vt omnes boni faciunt, hæc mea in bonam partem accipe; & me ama. Domi. Kal. Iul. MDCXV.

L. P. CVRTIO PICHENAE,

MAGNO DVCI ETHRVRIÆ AB INTIMIS SECRETIS, ET SENATORI FLORENTINO VIRO DOCTISSIMO.

Epist. XVII.

PErcursum tibi & perlectum Commentarium meum, qui est de seruorum ministeriis, è proximis Litteris ad me tuis perspe-

ſpexi. & ſanè Libro meo permagna facta eſt honoris acceſsio, quod tu Vir Clariſsime iſta tua dignitate, & magnarum rerum peritia animum adieceris Laboribus meis, quos ego planè adoleſcens, illuſtrando illi argumento ſuſcepi. Neq; profecto mihi vnquam venit in mentem, fore aliquando, vt vos rei Litterariæ columina oculos flecteretis hiſce nugis perluſtrandis; curauiſſem etenim vt illa mea prodirent non modo magis emaculata, verum etiam compta magis, & veſtris oculis digniora. Interim tui arbitrij facio, vt videas an hæc quæ ſubnotaui redigenda ſint in Libri cenſum, ſi quando Typographus recudere voluerit. Limocinctos, quos adnotaui in vetere Tabula Patronatus declaraui ex Gellio, & Iſidoro fuiſſe publicos Seruos, qui cingerentur tranſuerſa purpura. His addo locum Hygeni in Libro, cui titulum fecerunt Varios Auctor. de Limitib. Limites autem appellati a Limo: ideſt antiquo verbo tranſuorſi. nam & Limum cinctum, ideo quod purpuram tranſuerſam habent. *ad quem locum mirè conferunt ea quæ adnotauit eruditiſsimus Rigaltius. Animaduerti inſuper Famulos in vniuerſum cine-*

cinctos fuisse, vti essent ad operas & ministeria expediti. ideoq; vocat Phædrus alti cinctos Atrienses, pueros præcinctos Horatius. imo & CHRISTVS dominus Lucæ XII. *ex aui more, discipulos suos monet, vt lumbos seruili more præcingant. & Saturnalia fortè respiciens, quibus domini seruis ministrabant moribus Romanis, meminit domini præcingentis se, & seruilia meditantis. celebratur etiam cinctura Militum apud I. Consultos de qua videtur loqui Ammianus Marcellinus in Iuliano Lib.* XXII. inducta in Iudicium fœmina quædam, quum Palatinum aduersarium suum, e numero Protectorum cinctum præter spem conspexisset, hoc factum insolens tumultuando querebatur. & Imperator, prosequere ait mulier, si quid te læsam existimas, hic enim sic cinctus est, vt expeditius per lutum incedat. *Cingulum etiam Iudicis inuenio apud Anastasium Bibliothecarium, in Siluestro.* Hic constituit vt nullus Clericus propter causam quamlibet in Curiam introiret, nec ante Iudicem cinctum causam diceret, nisi in Ecclesia. *In his; quæ hic congessi, si aliqua putaueris*

ris corrigenda annota quæso te: meis enim omnibus hanc legem perpetim dixi, vt tu & tui similes, arbitratu suo, cæderent vrerent, secarent. Vale V. Cl. nostræ Italiæ decus. Patauij. MDCXV.

L. P. ANDREAE CHIOCCO MEDICO AC PHILOSOPHO.

Epist. XIIX.

QVæris de Tripode recente epistola tua, idest a me (vt tu quidem peramanter dicere soles, sed turbato ordine meritorum) num antiqui paginas Librorum vti nos facimus, numeris adnotare consueuissent. nunc respondeo consueuisse; & testimonio esse antiquam Inscriptionem quam vulgauit F. Vrsinus optimus senex optimè de omni meliore Antiquitate apud bonos omnes promeritus. in illa legitur Vesbinus quidam Augusti Libertus Phetrium Augustalibus Municipij Cæritum dono dedisse: & hæc præterea leguntur COMMENTARIVM. COTTIDIANVM. MVNICIPI. CAERITVM.

TVM. INDE. PAGINA. XXVII. KAPITE. VII. Martialis etiam eo alluſit Lib. VIII. Epigr. XXXXIV.

Centum explicentur Paginæ Kalendarum :
Iurabit heres te nihil reliquiſſe.

qui etiam Lib. IV. LXXXXI. *primæ Paginæ Libelli ſui meminit. Verum hanc vocem tranſtulerunt optimi Auctores ad alias etiam res, quæ longè abeunt a ſupellectile cartacea. Iuuenalis enim Sat* X. *Paginam appellauit Tabulam patronatus, vti vocat antiquus Grammaticus, quæ fuit ænea vel marmorea, ſuffixa ſtatuis, & honorum gradus continens.*

Quoſdam præcipitat ſubiecta potentia magnæ
Inuidiæ mergit longa atq; inſignis honorum
Pagina ---

Palladius Menſis Maij tit. XI. *in pauimentorum conſtructione teſtaceo Paginas imprimi iubet, ideſt marmoreas tabulas grandes & latas, cum teſſellarum & tabellarum meminiſſet. Saluianus etiam Maſilienſis Lib.* I. *de Gubern. Tabulas marmoreas Legis a Deo datæ vocauit* rupices paginas, *& ſaxeum volumen. parietum Paginas recenſet Sidonius, Lib.* II. *Epiſt.* II. *& Vluarum Paginas ibidem videlicet inuicem contextas. & forma*

ma foliorum diffusas. Plinius quoq; Lib. XVII. *Cap.* XXII. *ad areas terræ id nominis contulit, inquiens*, vt quinto quoq; palo singulæ iugo paginæ includantur. *Innocentius etiam vetus auctor Limitum constituendor. hæc habet;* excogimus finem habere contra duas paginas fundorum. *& apud eundem compaginæ sunt Litterarum non semel, & quidem ex Libris Marci Varronis de Geometria vt ipse inquit. necnon & Tiberius Imperator apud Frontinum ita disserit*, cum ager diuisus militi traderetur, vt extremis a compaginantibus agris limitibus ve suis monumenta sepulcraue sacrarentur. *& hæc quidem de Pagina. Quod autem tu idem quæris de Ellychnijs Lucernarum sepulchralium, quas antiqui concinnabant, scito apud Anastasium Bibliothecarium animauersum mihi fuisse nescio quid de Ellychnio Asbestino scribit enim in Silueſtro.* in medio Fontis, columnas Porphireticas, quæ portant Phialam auream, vbi Candela est, pensans ex auro purissimo Libras L I I. vbi ardet in diebus Paschæ, Balsamum Librarum cc. nixum vero ex stippa Amianti, *vbi myxum*

xum reponit (& meritò) eruditissimus Anastasij Scholiastes. & hæc sunt quæ tua intererat scire, vt diuebas. sed ecquæ sunt quæ tu nescias? Vale. Patauij Non. Maij. MDCXVI.

L.P. SCIPIONI COBELLVTIO CARD. SANCTAE SVSANNAE BIBLIOTHEC. APOST. PRAEFECTO.

Epist. XIX.

QVod tu Vir Illustrissime in tanta eruditione & magnarum rerum vsu, exquiras a me non raro ea, quæ te callere par est, hoc vero humanitatis tuæ præclarum est argumentum. nimirum æque Patris est docere Liberos, & demittere se ad eorum lusus, & adeo

—equitare in arundine longa.

Quærebas de Annulo pronubo cuius figuræ esset, cuius materiæ; & num olim fuerit (vti nunc) precibus ad Deum fusis consecratus. figura videtur illa, quæ me puero frequens fuit,

fuit, & nunc apud nos obsoleuit, iunctarum videlicet manuum dextrarum, cuiusmodi in antiquis Nummis cernitur non raro, ijsq; aureis, argenteis, & æreis. dextras absolute appellat Tacitus, Lib. I. & II. Histor. missitatas ad Exercitus non semel. apud nos obtinuerat Fidei nomem (vna fede.) neq; profecto sine exemplo Antiquitatis: quando in monetis Vitellij, Titi, Domitiani, Pupieni dextræ huiusmodi Fidei inscriptionem præseferunt. accedit his omnibus testimonium scriptoris, quem tu merito magni facis, Ioannis Nider Lib. I. Cap. II. qui scribit in Formicario de Virgine rustica, quæ optabat reperire Annulum materialem in signum Christiferæ desponsationis, reperisse Annulum coloris albi Argento mundo similem; & in clausura vbi iungebatur in circulum duas manus artificiose insculptas extitisse, cancellatim sibi mutuo fidem porrigentes, & se se arcte constringentes. Moris autem erat etiam olim, vt Annulus, & Corona consecrarentur oratione Sacerdotis: cuius quidem Orationis in veteribus Liturgijs hæc erat formula. Bene ✠ dic Domine Annulum istum, & Coronam istam,

vt

vt ſicut Annulus circundat digitum hominis & Corona caput, ita gratia Spiritus ſancti circundet Sponſum & Sponſam; vt videant filios, & filias vſq; ad tertiam, & quartam generationem: qui collaudent nomen viuentis atq; regnantis in ſæcula ſæculorum. Amen. *de Corona verò fruſtra eſt, vt te moneam, non enim dubito, quin obſeruaueris locum Iſaiæ Cap.* LXII. & indumento Iuſtitiæ circundedit me, quaſi ſponſum decortum Corona: *& verba D. Agnetis omnibus in promptu. ſunt de data dextra & fide, cum hæc ac te ſcriberem, monuit amicus extare inſignem Liuij locum Lib.* XL. *de M. Aemilio, & M. Fuluio Cenſoribus, qui initio Cenſuræ acerrimas inter ſe ſimultates finierunt*: omnibus inſtantibus qui aderant, dexteram fidemq; dedere, mittere vere, ac finire odium. *Et ſanè ego memini me videre virum & vxorem, Furfanium Nigrinum, & Furfaniam Floram, auſpice Hymenæo, dextras iungentes, in vetere monumento, quod repreſentarunt ſatis affabre Abrahamus Ortelius, & Ioannes Viuianus in Itinerario vt vocant per nonnullas Galliæ*

Belgicæ partes. Et hæc omnino sunt, quæ tibi studia mea promouenti & excitanti obsecuturus, adnotata volui, Vale. Patauij. MDCXVII.

L. P. THOMAE DEMPSTERO DE MVRESK BARONI I. C. PROFESSORI EMINENTI.

Epist. XX.

VEro verius est Vir Clarissime quod heri apud Comitem Manfredum ornatissimum Adolescentem Auditorem tuum, differebamus, nihil esse hominis magis proprium quam falli, idq; vsuuenire frequenter in hisce nostris studijs, quæ appellamus Humanitatis. in quibus bardus omnino habetur, qui non omnia callet, seueræq; leges imponuntur,

Vt præceptori verborum regula constet,
Vt legat Historias, Auctores nouerit omnes
Tamquam vngues digitosq; suos, vt forte rogatus
Dum petit aut Thermas, aut Phœbi balnea, dicat
Nutricem Anchisæ, nomen, patriamq; nouercæ

Arche-

Archemori.dicat quot Aceſtes vixerit annos,
Quot Siculi Phrygibus vini donauerit vrnas.

vt vere demum cecinit Satyricus Aquinas in calce Satyræ VII. *Exemplum præbet huiuſce, cuius meminimus humanæ imbecillitatis Iacobus Gretſerus nobilis e Soc.* IESV *Theologus in opere elaboratiſsimo de Cruce, Tomo* III. *Lib.* I. *Cap.* XXVI. *ibi enim verba faciens de Numiſmate æreo Ioannis Palæologi Imperatoris Conſtantinopolitani, cuiuſmodi apud me eſt pulcherrimum, ad illa verba OPVS PISANI PICTORIS hæc habet,* Pictor Piſanus poterat nomen Patriæ reticere. quia nihil in Nummo, præter teſtimonium cultæ Crucis, quod laudem admodum mereatur. adiecit tamen, ratus forſan precium non tam ex arte, quam mente ſua æſtimatum iri. negociabantur olim Conſtantinopoli plurimi Piſanorum, *&c. quæ ſanè nollem dicta ab homine eruditiſsimo. verum meminerimus HOMINES NOS ESSE. Piſanus hoc nomine proprio, non quidem a Patria appellatus, fuit inſignis Pictor, idemq; Coelator, qui ob peritiam artis ſe in coelaturis pictorem, in picturis coelatorem inſcribebat. eiuſdem meminit Pomponius Gau-*

ricus in Libro de Sculptura hiſce verbis, Piſanus Pictor in ſe coelando ambitioſiſsimus. *Item Onufrius Panuinius, in Opuſculo de Vrbis Veronæ viris Doctrina &c. illuſtribus, qui teſtimonio Blondi Veronenſem fuiſſe ait, Guarini carmine decantatum. Eiuſdem Piſani plura eaq; grandiora ſunt apud me Numiſmata, manu planè artifici ſcalpta. meminerunt & Georgius Vaſarius ſeu ille Borghinus; & Paulus Iouius Epiſtola Italice ſcripta, luculenter ſane. Hæc ad te mi Demſiere, vti ad Veritatis Patronum & Vindicem, nullo prorſus calumniandi ſtudio. Vale, & ampliſsimum MOLINVM Italiæ noſtræ ſidus, cum primum Venetias appuleris, meo nomine plurimum ſaluere iube. Domi.*

L. P. ANDREAE MAVROCENO GYMNASII PATAVINI MODERATORI, SENATORI AMPLISSIMO.

Epiſt. XXI.

BEſſarion Cardinalis Nitænus, ille qui veſtram Bibliothecam Marcianam ornauit, ea fuit morum grauitate, & doctrina-

rum

rum cultura, vt nemo eo Christiana probitate spectatior, Paulo Iouio teste, nemo fuerit doctrina admirabilior. Is Cornelium Tacitum in deliciis habuit, scriptorem ciuilis prudentiæ magistrum, & quod non minima laus est, Liuio nostro in hac etiam parte proximum. Huiusce rei testem habeo Bessarionis Epistolam, descriptam e vetere manuscripto Codice, qui fuit olim eximij viri, & omni commendatione maioris Hieronymi Aleandri Cardinalis, cuiusq; me compotem fecit Hieronymus Aleander iunior ab eruditione & modestia commendatissimus. Epistolæ verba hæc sunt. Bessarion Cardinalis Tusculanus domino Francisco Barbaro suo salutem dicit. Si Cornelius tuus Tacitus non esset, posset tibi referre quam humaniter a nobis susceptus, quam liberaliter tractatus, quam hilariter quintum iam mensem nobiscum hospitatus sit. quem interea filium, quam ingenuum & liberalem genuerit, ac apud nos dimiserit. Sed licet natura eum Tacitum fecerit, non tamen ita Tacitus est, quin ex eius facie atq; aspectu affectus eius apprime intelligantur. imo accidit in-

terdum, vt non modo non Tacitus, sed omnium facundissimus videatur. licebit itaq; ex eo etiam Tacito hæc omnia intelligas, ex quibus concipere animo possis quas tibi gratias habeamus. certè immortales agimus, nec quippiam auidius expectamus, quam oblatam nobis iri facultatem, qua tibi referre gratiam possimus. vale Bononię pridie Cal. Octobris M. CCCC LIII. *Hæc Bessarion eo ipso Anno, quo Constantinopolis, Orientalis Imperij occiduum lumen a Mahumete Rege Turcarum miserrima captiuitate damnata est. Quam ille cladem Anno* M CCCC LXX. *post occupatam Euboeam, grauissima adhortatione ad Principes Christianos, prosecutus est latino sermone; assumpta etiam Demosthenis auctoritate, secus atq; tradidit Andreas Schottus Antuerpianus de societate IESV, Vir scriptis editis, & Italicarum rerum amore longe clarissimus. is enim Præfatione ad vitas comparatas Aristotelis, ac Demosthenis scripsit, Bessarionem populari Etruriæ Sermone imploraſſe subsidium vicinæ Italiæ aduersus Turcam Græciam inuadere parantem. non enim populari Etruriæ sermo-*

ne

ne scripsit Bessarion, sed latino, vt ipse-met Liber loquitur olim editus. Etrusce autem verterunt Nicolaus primum Sagundinus ni fallor, deinde Philippus Pigafetta, vt omittam, scripsisse Bessarionem inuasa demum Græcia, & Turcarum iuris pene facta. at hæc condonari possunt viro omnium philologorum cultu, & amore dignissimo. Tu vale amplissime Domine, & tibi hæc mea habe, venerationis erga te meæ minima testimonia. Sandellius, & Contarenus saluere te iubent. ego pariter, cum accessione eius felicitatis, quam tua præclara Virtus iure merito sibi exigit. Patauij.

L. P. PAVLO GVALDO

ARCHI-PRESBYTERO CATHEDRALIS ECCLESIÆ PATAVINÆ VIRO REVERENDISSIMO.

Epist. XXII.

IOannis Vincentij Pinelli Vitam, quam tu Vir Reuerendissime ante annos duodecim

plausu ingenti Eruditorum conscripsisti, eo fauore excepta est, vt Erycius Puteanus, nobilis ille Pinelli contubernalis, in Reliquijs (vti vocat) Epistolarum suarum, Epistola LVI. *Ad Carolum Malinæum, Aerarij Principum Præsidem, illam non dubitauerit appellare Imaginem Viri magni, probi, eruditi. Et sanè non occurret fortè diligenter indagantibus, qui cum Pomponio Attico, præter vnum Pinellum, componi possit. ambo nobiles, ambo Litterati, ambo magnis amicitijs florentes, ambo intra priuatam fortunam steterunt. Illam tu recudas oportet, quando exemplaria prope omnia diuendita sunt: & multa mihi fuerunt adnotata tuo iussu, de Io. Vincentio, clarorum hominum testimonia, quæ ad Posteritatem transmitti, vno veluti fasciculo comprehensa, publicè interest priuatimq;. sed ad rem propius accedamus. Paulus Manutius in Epistolas M. Tullij familiares Lib.* V. *Epist.* XX. *hæc tradidit in Scholijs*; Sic omnes, quos ego viderim scripti Libri, tribus exceptis, duobus Marci Antonij Maffei, tertio quem vir doctissimus, idemq; omnium humanissimus Io. Vincentius Pinellus,

emptum

emptum ex Leonici Thomæi Bibliotheca, mihi dono dedit. *Petrus Victorius Lib.* XXVI. *Variar. Cap.* XVI. Ioannes Vincentius Pinellus, vir quamuis merito ab omnibus aliqua laude dignis, plurimum laudatus ob multas & magnas animi sui dotes, numquam tamen satis laudatus, significauit mihi Epistola quadã sua *&c.* legisse tres fuisse Bacidas. *Idem Lib.* XXIX. *Cap.* III. *cum de Apalis Ouis disputasset, subdit*; cuius totius sententiæ est Ioannes Vincentius Pinellus, qui nos huius eruditæ diligentisq; animaduersionis admonuit, vt amicus meus summus, & laudis meæ vndiq; studiosus. *Thomas etiam Aldobrandinus Clementis* VIII. *frater, in Octauum Librum Diogenis Laertÿ. Ann. num.* I. *ita scribit*, ego mercatorem fuisse conijcio ex Libello quodam manuscripto, quem misit ad me Ioannes Vincentius Pinellius iuuenis nobilissimus & doctissimus. *Octauianus etiam Ferrarius, in Libello accuratissimo de Origine Romana, Pag.* XCII. *hæc honorificè perscripsit*, argumento sunt incisa in antiquo lapide verba, quorum copiam Ioannes

Vin-

Vincentius Pinellus vir humaniſsimus, idemq; longè doctiſsimus, mihi non ita pridem fecit. *Gulielmus quoq; Canterus Nouarum Lectionum Lib.* III. *Cap.* V. *præclarum hoc Encomium eidem adſcripſit;* vtramq; hanc doctiſsimi viri Emendationem nobiſcum nuper communicauit vir humaniſsimus iuxta ac doctiſsimus Ioannes Vincentius Pinellus Patricius Genuenſis, idemq; omnium eruditionis ingenuæ candidatorum amicus integerrimus. *Omitto quæ Philippus Pigafetta vectras, Commentario de Seſtertijs antiquis, Italice conſignauit; quia ea ipſa Pinellus minus probauit, quod te etiam non latuit. Inſignia vero ſunt quæ de Gente vniuerſa recenſet Thomas Coſtus ſcriptor, ſeu potius Interpolator Vitæ Innocentij* IV. *in Epiſtola nuncupatoria ad Coſmum Ducem Acheruntinum, Ioannis Vincentij fratris filium. Et hæc quidem typis impreſſa ad meas manus peruenerunt, quæ tecum communicare par fuit, vt ſeriem aliquando, & lucem a diſerto calamo tuo accipiant. inedita aliquot & e ſcrinijs amicorum nactus, tum carmine tum proſa, huius loci facio, vt penes te ſint.*

THO-

THOMAE SEGETI

DE LIBRO PAVLLI GVALDI, QVO INCOMPARABILIS VIRI IOANNIS VINCENTII PINELLI VITAM DESCRIPSIT.

Promeritus ſtudijs ſexcenta in ſæcula Famam,
Quam pœne Famam perdidit Modeſtia
Pinellus, monumenta orbi dum pernegat, acris
Et cerei præclara ad omnia ingeni;
Gloriolæ contemptori ſuccurrit amico,
Docto, diſerto, florido Gualdus libro.
Hic facit, vt lethe excuſsa, ęternumq; ſuperſtes
Volitet per ora docta Pinellus virum.
Quid tibi profuerit pietas hæc Gualde requiris?
Et tu per ora docta vectaris uirum.

IO. VINCENTII PINELLI

EPITAPHIVM.

Non hic qui placida compoſtus pace quieſcit
Promeritus quamuis, carmina longa ferat,
Pinellum dixiſſe ſat eſto. Cetera dicent
Celta Italus, Sueuus, Belga Britanus, Iber.

PAV-

PAVLI AICARDI

EPITAPHIVM.

Ne foret in terris vnus, qui cuncta teneret,
Aicardum in medio tramite Mors rapuit.
Inuida Mors nihil egisti tamen. Omnia scire
Non licuit viuo, post tua tela licet.

COSMI PINELLI

IO. VINCENTII FRATRIS FIL. DVCIS ACHERVNTINI EPITAPHIVM.

Qui patrui Cosmus mentemq; atq; ora ferebat
Vrbe illa(heu?) cecidit, qua cecidit patruus.
Iudice me, haud casu hoc factum, molita vidêtu
Fata, vt tam iunctos iungeret & Tumulus.

ALIVD.

Dum patruo molem meditaris Cosme sepulchri
Præpropera morti victima immiti cadis.
At patrui virtus, Pietas meruit tua, vt esset
Honore mactus ille, tu solatio.

Thomæ Segeti, Britanni.

D.

D. O. M.

ET MEMORIAE AETERNAE.

Illustrissimi Vincentij Pinelli,
Principum Stirpe Oriundi,
Ita Ingenio Dotati, & Ita Laboribus, Diditi,
Vt Ab Ipsius Ingenio Scientiæ Prætium Cęperint:
A Laboribus Vero Ipse Augumentum;
Hæ Detrimentum.
Nam Cũ Pene Singula Ad Calculum Reuocaret,
Renum Calculo Victus Est;
At Dum Vincitur, Vicit Perpetuum
Sui Nominis Monumentum.
Iure Ergo Merito Sit Tibi
Vincenti Corona

Ioannes Bourgeois; Tornacensis.

Tale Vir Reuerendissime et me numera inter fidos addictosque tibi clientes. Patauii. Anno MDCXIX.

L. P.

L. P. ANDREAE CHIOCCO

MEDICO CLARISSIMO VIRO

SALVTEM.

Epist. XXIII.

QVæris ex me Vir Cl. quid contineat antiqua Lapidea tabella, quæ isthic in Musæo Calceolariano adseruatur, cuiusq tu ad me exemplum misisti. illa profecto Aegyptij cuiusdam scalptoris figmentum est, vt quæ & litteras exprimentes rationes mysteriorum illius Gentis proferat, atq; ipsa adeò Sacra (vt ipsi vocabant) simulachra nobis exhibeat. Litteræ sunt illæ, tum quæ quattuor inferioribus spacijs tabellæ ipsius continentur, tum quæ in superiori area interminant, mirabiles planè, & ipsamet ignoratione satis commendatæ; Auiculæ enim, securiculæ, globuli, flagella, Dracunculi, & alia non pauca, ipsa quidem per se in oculos nobis incurrunt, at quem indè sensum nos elicere valeamus, nemo adhuc est, qui sciat. Ammianus certè Marcellinus Lib. XVII. Historiarum ex Hermapione, vt vt præiuerit explicatione aliquot versuum vnius ex Obe-

scis

ſcis, ſæculo huic noſtro ſolerti ſatis, & eruditio, nemo tamen ad ſolidam huius diſquiſitionis gloriam adſpirare (quod ego quidem ſciam) auſus eſt. Ad ſimulachra quod attinet, dixi ego ſatis aliàs, cum explicarem imagines miras Menſæ Iſiacæ, quæ fuit incomparabilis Viri P. Bembi Cardinalis. at in tui gratiam etiam nunc è magna ſatis meſſe colligam deciduum aliquod ſpicum, quod tu pro tua humanitate, & pro ea, qua me proſequeris beneuolentia, forſan recondes in horreum politiſsimæ tuæ Bibliothecæ. Porrò hoc agamus. Aegyptij ſanè, vt contigerunt illis cæli Vis, & Nili ingenium planè à reliquis terrarum tractibus diſcrepantia, ita in plerisq; omnibus (inquit Herodotus) a ceteris mortalibus, ſeſe abiunxerunt. Hoc in ſacris liquidò planè compertum eſt, nihil in ea abſonum in fingendo uſpiam fuit, quod non æquarent, vel etiam exſuperarent monſtroſæ imagines, quibus ex antiquitate reliquis pepercit Tempus edax rerum. Nota ſunt ex carmine Virgiliano, Omnigenum Deum monſtra. & Gildas ſapiens, vt Patriæ ſuæ Idolomaniam exagitaret, nihil potuit excogitare, quod ad illam exprimendam pertin-

tin-

tingeret, præter Aegyptiaca deliramenta; Inquit enim: Igitur omittens priſcos illos, communeſq; cum omnibus gentibus errores quibus antè aduentũ Chriſti in carne, omne hominũ genus obligabatur adſtrictũ, nec enumerãs Patriæ portẽta ipſa diabolica penè nũmero Aegyptiaca vincẽtia, quorũ nõnulla lineamẽtis adhuc deformibus intrà vel extra deſerta moenia ſolito more rigẽtia toruis vultibus intuemur. *hæc ille Georgius etiam Piſides huc reſpectãs totum ſalum horrendæ impietatis Aegyptios perbibiſſe abunde teſtatus eſt. Abſidem Tabellæ complectuntur ferè totam Alæ Accipitris, quas fortè in rotundo illo patore interſtinguit Stella Sothis, vt non ſemel in Menſa Iſiaca; ambientibus, & dependentibus anguibus binis. Fuit autẽ Sothis Stella, quam Canis aſtrũ græci vocant (inquit Porphyrius) creditaq; eſt Aegyptijs* ἀρχὴ ἔτους, *eademq; initium apud ipſos mundanæ Geneſeos. Accipiter verò Dei, & Solis ſimbolum eſt, tradente Clemente Alexandrino Lib. V. Stom.* Πυρώδης γὰρ, καὶ ἀναιρετικός: *Angues & ipſos diuinitatis aliqua portione reſperſos arbitrata eſt Antiquitas: e nos olim ad faſtidium oſtendimus*

nota

nota sunt illa Persij Satira 1.

Pinge duos angues: Pueri, sacer est locus, extrà Meijte.

Aegyptij ipsi adeo magnifecerũt hanc notã Et impietatis, vt & Nũmos principales hac imagine cõsignarẽt. est apud me æreus M. Antonini.

Quod si Stella in illo veluti Disco nõ cõparet, sed nuda tantũ planities, dicemus esse planã illã rotunditatẽ, quam in modũ speculi, vel augmentũ Lunæ super Isidis frontẽ Appuleius Li. II. *adnotauit. Reliquæ sunt icones Sacræ, quarũ altera sedẽs Osiridis videtur, stãs altera Isidis. Osiris fuit Rex apud Aegyptios, Isis Regina, vt scribit Iulius Firmicus & ante Firmicũ Diodorus, quos præterea mysticis rationibus & So-*

lem, & Fruges, & Lunam, & Terram esse voluerunt. Horum cultus totam Aegyptum, regiones finitimas, & vniuersum ferè orbem incredibili superstitione peruaserat. Osiridi caput tegit Persęa arboris Pomum (vt ego quidem existimo) ea specie conformatum, illisq; parergis exornatum, quæ in Mensæ Isiacæ prima Sectione occurrūt spectantibus. Emcnto quod propendet diximus alibi videri Serpentis caudam, neq; sanè pœnitet coniecturæ, quam tamen qui firmem non habeo, adeò tenebræ Cymmeriȳs, crassiores hæc deliria obsepserūt. Vnica est apud me Gēma signatoria uetus illa sanè, quæ ad hæc alludit. Est autē Sarda,

Sceptrum Sacrum apprehendit ambabus ma-

ni-

nibus Osiris, vt & dextrà Isis, quæ post sequitur, ornabatur autem Sceptrum Vpupæ capite, vt docet Horapollon Lib. 1 Ὄθεν καὶ τῶν θείων σκήπτρων κεφαλὰ προτίμησις ἔσι, id quare fieret, latè nos in commentario Mensæ, quam diximus. Sella planè Aegyptiaca est, tota solida, illis conformata, quas nobis exhibent huius generis antiqua monumenta. Isis eminente mamma, & ea quidem vnica, nisi nos Pictor fefellerit, pedibus penè concretis, sinistræ manus digitulo insertam Crucem ansatam gestat. Et huiusmodi crucis specimen, & nos olim ex antiqui lapidis coelatura deprompsimus, & Ioann. Georgius Hervvartus, in figuris obeliscorum, qui Romæ extant, repræsentandum curauit. Et ansam eiusdem Crucis frustrà abrumpere conatus est Iustus Lipsius Vir Clar. Caput Isidis ornat sacer Tutulus, non integer tamen, sed detritus, vi (vt videtur) & iniuria vetustatis. Mamma eminens, si Isis nihil aliud est, quam Terra, vt placet Macrobio, id significat, sufficere eam cunctis animãtibus victum. Pedes eiusdem, quos Pictor non satis videtur assecutus, illustrantur hisce verbis Heliodori Lib. III.

Aethiopicorum Τὰ ἀγάλματα τἀνθεῶν Αἰγύπτιοι τῷ πόδε ζεύγουντες, καὶ ὥσπερ ἐνέντες ἰσᾶσιν; *qui hæc etiam confirmat Homericis versibus. E. hæc sunt Vir Cl.*, *quæ suppeditauerun tenues copiolæ Bibliothecæ nostræ*, *& i quidem pauculis horis propè furtiuis. Eg maiora*, *& quæ te minus dedecerent*, *ma luissem*; *at tu qualiacumque æqui boniq; con sules*, *vti ab amico profecta*, *qui hanc scrip tiunculam apud seram posteritatem cupit ex tare*, *veluti Tesseram mutuæ inter nos*, *& perennis caritatis. Vale*, *& Excellentissimum Cerutum præclarum*, *& optimum Musæ Calceolariani Descriptorem*, *atq; Interpretem meis verbis plurimum saluere iubeas. Pa tauij Dominica Passionis*, *Nonis April. MDCXX.*

L. P. SCIPIONI COBELLVTIO CARD. SANCTAE SVSANNAE BIBLIOTHEC. APOSTOLICAE PRAEF.

Epist. XXIV.

HOrtaris Tu me Vir Illustrissime, vt ad sacras Antiquitates conuertam stylum meum; nerimq; illorum, qui magna cum laude no-

nominis sui hanc Eruditionis partem attigerunt. Ego verò pareo lubens, & exhibeo tibi specimen in hac Epistola. quod tibi probari Viro eruditissimo cupiam. Cassiodorus Senator ille non magis Regius, quam Literarius, in Libro de diuinis Lectionibus, de Origene loquens hæc habet, Quapropter in operibus eiusdē Origenis, quantū tranſiēs inuenire præualui, loca, quæ contra regulas patrū dicta sunt, hæresim disputatione signaui. *ita habet postrema etiam Editio vbi in margine Libri annotauit Editor,* Achresimi repudiatione *al.* Achresimi disputatione. *vtro modo legamus sunt meræ monstra verborum, nata ex ignoratione Notarum, quibus studiosi, Auctorum loca signabant. habet illas Isidorus Lib.* 1. *Originum, Cap.* XX. *vbi inter ceteras extat hæc,*

χρίσμιον. hæc sola ex voluntate vniuscuiusq; ad aliud notandum ponitur. *Repono igi-*

tur apud Cassiodorum, loca quæ contra regulas Patrum dicta sunt Chrestini dispunctione signaui. *verum hæc nota apud nostros religiosa olim fuit & sacrosancta; vt quæ contineret duas priores litteras nominis Dominici. vidimus illam in veteribus Nummis, in Titulis Monumentorum; in vetere Lucerna fictili quæ extat apud me, cuius typum exhibuit clarissimus Philosophus Fortunius Licetus in Libro de Lucernis. Auctorem faciunt Constantinum Augustum, neq; sanè improbo: & opinor transtulisse eum ex veteri vsu ad hunc pium, & sacrum. ipse sane apparet galeatus in vetere Nummo, hastatus & clypeatus: cum Inscriptione CONSTANTINVS AVG. in galea vero conspicitur hæc nota; vt & in Labaro alterius Nummi. At in plerisq; Regum Ptolomæorum æreis numismatibus non semel extat: vt ego vidi apud Lælium Paschalinum isthic. esto. quid tum? an non potuit Constantinus ex promiscuo Monetariorum vsu eximere hanc notam, cum infamiam abrogauerit supplicio Crucis? in Monetis ante Christum percussis potuit significare compendiaria ratione Nomen alicuius qui Monetam curaret,*

exem-

exempli gratia Christodori, Chrysaori, Chremetis, Chrysantij, Chrysippi. post Constantinum, solum nomen Domini Saluatoris: de quo Iulianus in Misopogone, & Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores. num quæso nouitium est, multa in supellectilem Christianitatis vt ita dicam fuisse inuecta, quæ alias profanitatem suboluerant? Crux ipsa, quæ nunc exornat imperantium frontes, fuit olim ignominiæ theca, & seruilium supplitiorum periodus & epitome. hæc ideo pluribus Vir Illustrissisime quia memini, cum isthic essem, audire me Virum totius Antiquitatis bene peritum, qui in dubium reuocaret, fretus hac compendiaria nota, quæ cernitur in antiquissimis Nomismatibus, quod de Constantiniana



omnes nostri promiscue tradunt. Collaribus fugitiuorum eamdem imprimi consueuisse

monstrauimus olim in nostro Commentario de Ministeriis Seruorum. diuertit illa deinceps ad figuram rectam Crucis, ab illa vetere decussata, in hanc formam

vt Nummi veteres præseferunt. Neq; verò Crux ipsa non fuit in cultu ab ipso etiam æuo Constantiniano. præfert ipsam clarissime Nummulus æreus meus, in fronte Aræ data opera sculptam, adstante duplici Victoria, & Clypeo Aræ superposito. est autem Ara, Columellæ specie rotunda. Crux vero excisa non incisa, in fronte vt dixi, vbi Serta & Lemniſci Aram redimiunt more antiquorum. Hæc sunt Vir Illustrissime exordia veluti quædam eorum, quæ ego olim tumultuarie annotaui ad res sacras pertinentia. hæc tibi exhiberi par fuit, vt eo tandem reciderent, vnde te monente & adhortante manarant, Patauij. Kal. Ianuar. MDCXXII.

L. P.

P. ALOYSIO LOLLINO

EPISCOPO BELLVNENSI VIRO

ILLVSTRISS. ET REVERENDISSIMO.

Epist. XXV.

NEærae memoria apud Rhamnusios, de qua tibi scripseram praeteritis diebus, in marmore huiusmodi est. Mulier super-ne sedet ambitiosè stolata. brachium dex-trum excrit e tunica, cubito tenus, eodemq; recto, manuq; admota uelum diducit a facie eo schemate, quo Pudicitia solet in veteribus Nummis Augustarum. idemq; ue-lum descendit a gena, collo, & humero dextris transuersum ante pectus ad latus sinistrum, defluens undulatum ad usq; pe-des imos. manus eiusdem laeua innititur pul-villo, tereti collumellae imposito. pedem dex-trum excipit suppedaneum, quod Etrusci immutatis paulisper uocis elementis uocant Soppidiano. Neæra ipsa facie est satis li-berali. marmor oblongum, quadratum & fornicatum in summo. sub pedibus mulie-

ris

ris in Corona Laurea, ut uidetur; hæc sun inciſa.

ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΣ
ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΑ ΤΗΝ ΕΜΕΣΕΙ
ΡΑΜΝΟΥΝΤΟΘΕΝ ΝΕΑΙΡΑ
ΑΘΗΝΑΙΑΧΑΡΙΤΟΒΛΕΦΑ
ΡΟΣ ΑΝΕΘΗΚΕΝ

Quæ neſcio quis latine ſic uertit.

Ob Libertatem.
ingratiarum actionem Nemeſi
Rhamnuſiæ Neaera
Athenienſis pulchri-palpebra ſacrum erexit

Et uero Neæra etiam apud Virgilium formoſæ mulieris nomen eſt, Ecl. III.

---ipſe Neæram
Dum fouet----

quæ forte illi compar fuit, quam Theleſina nomine celebrauit Martialis Lib. VI. LXXI.

Vrit & excruciat dominum Theleſina priorem.
Vendidit ancillam, nunc redimit dominam.

ubi dominus ancillam quæ corpore placuera uide-

uidetur in Libertatem asseruisse, ut domi-
nam haberet. Ipsa etiam profecto Nemesis
ad Amatores maxime pertinuit, ut inquit
Pausanias in Atticis: & Rhamusia virgo
nota est Catulli carminibus. Athenienses igi-
tur hæc nostra Nemesi, quæ Rhamnunte co-
lebatur, memoriam sacrauit, ob libertatem
adeptam, extortamq; domino amatori, su-
perbo forte & impotenti. & hoc quidem me-
um somnium esto de Neæra. tu

--interpres diuum, qui numina Phoebi
Qui Tripodas, Clarij Lauros, qui sidera sentis,
Et volucrum linguas & præpetis omina pennæ
Fare age *num merum somnium sit. Neme-*
sis ipsius simulacrum expressit uiriculo, re-
*centis æui decus Apelles*q; *Albertus Durerus,*
seruata fere Pausaniæ descriptione. quod qui-
dem uulgus Pictorum, pudendo errore, Fa-
nam uocat. Rotam Nemesi tribuit Ammia-
nus Marcellinus extremo Lib. XIV. *& Poe-*
tarum non nemo. Ornaruntq; ipsam hoc sym-
bolo Amastriani, & Tyanæi, ut præsefe-
runt ueteres eorundem Nummi, qui apud me
sunt Aurelij Cæsaris, & Faustinæ Augu-
stæ. Quod autem ad cognomen attinet Neæ-
ræ ipsius, quam nos uocaremus di ciglia

gra

gratioſe, *notanda ſunt quæ refert Athenæus Lib.* XIII. *Demetrium Phalereum Lampeto amicam ſuam hoc nomine appellaſſe, cum antea uti, ſcribit Diyllus, Charitoblepharos uocaretur. quod cognominis Adagiorum conſarcinatores neſcioquam rectè, ex eodem Athenæo, ad ipſum Demetrium tranſtulerunt, in Adagio* Geometriam exercere in Cilio. *citauiſſent aptius Diogenem Laertium Libro* V. *& Hesychium Illuſtrium. Hæc omnia ut tu Pontificum eruditiſsime tuo ſuffragio comprobes mihi in uotis eſt id ſi fiet Cælum digito attingam, non tantum uertice. Patauij. MDCXX*III.

L. P. GABRIELI CAPRAE

COMITI, ET CANONICO PATAVINO

VIRO REVERENDISSIMO.

Epiſt. XXVI.

QVod res patrias amas Vir nobiliſsime Ciuicam Coronam mereris, quod Eruditionem raro exemplo magni facis Lauream tibi adoptat vniuerſus Litteratorum cætus.

&

& vero Patria tua Vicetia eo loco est inter Italicas vrbes, vt non quouis calamo contenta esse possit. eius mihi Origines collectum re, te quidem monente, consilium olim fuit, uarum hac Epistola gustum nunc delibo sub uspicijs multo amplissimi nominis tui. Qui am fundauerint an Galli, an Troiani amiguum est. Iustinus Libro XX. *ex Pompeio rogo Gallos conditores adscribit. alij Troiaos aut Venetos, de quibus accuratissimus hilippus Cluuerius Italicæ antiquæ Lib.* I. *ap.* XVII. *& Introductionis Geographicæ ib.* III. *Cap.* XXIV. *vtramq; sententiam amlexatus est Marcus Antonius Sabellicus ingnis ille Rhetor Historicus, & Poeta, in ratere Vicentino; qui post Euganeos recensi s ita infit*

empore iam ex illo facies mutata locorum
astella in tumulis, altisq; in montibus arces
rgolicę posuere manus, Vicentia nondum
ulchra fuit (namq; incerta it fama per aures)
on insignis erat, sed erat sine nomine tellus.
de adeo multis se se voluentibus annis
ost Asiæ excidium, cōsumptaq; Pergama flāmis
ntenor patria profugus, per tela per hostes
rutus: Hadriacis victor consedit in oris

Tum

Tum Veneti comites rerum, sortisq; futuræ
Troica signa ducis melioraq; fata secuti
Euganeum bello victum pepulere vetustis
Sedibus, & victæ dant iura, & nomina terræ.
Nec Venetis post longa quies, sed Gallia crebr
Motibus infamis, Alpes penitusq; repostas
Aspernata niues; subitis effusa procellis
Incautas euertit opes, atque ocia fregit.
Illa ferox bello, rebusq; elata secundis
Non prius abstinuit, victriciaq; exuit arma,
Finibus infestis, quam prædę in parte recepta es
Hic vero incertum Veneti noua moenia prisci,
An Venetis mixti multo post tempore Galli
Fundarint auibus lætis, atq; omine læto,
Felices animæ quamuis odiosa vetustas
Nomina vestra tegat, semper mirabitur orbis
Formosam longe formosis moenibus vrbem
Quam vestræ statuere manus----

De nomine quæ traduntur, a Vicanis & cer tum Vicis, dubio procul inania sunt. Siue eni Galli, siue posuerint illam Veneti, nu credemus hos ipsos Latine locutos? minim vero. paria sunt quæ de Vinto nescio quo C Cane fabulantur, indigna prorsus, quæ d ctas paginas obsideant diu. Ego sane si V cetes aliquis, in tota ditione Antiquitat numeraretur, illi ipsi adscriberem vrbis n

men-

nenclaturam . neq; ſanè ab hac inflexione
beunt Nicetes , Alethes , Aceſtes , & Athe-
ſtes . quorum etiam aliqui oppidis a ſe con-
litis nomina propria tranſcripſerunt . VICE-
TIAM diſertè nominant quotquot ego vide-
im antiqua monumenta, lapidea , æreaue ,
uibus accedunt & Græci aliquot Scriptores.
At quod tu VICENTIAM probas ego pro-
ecto non improbo . adſtipulantur enim Iu-
ſtus Lipſius & Philippus Cluuerius . imo &
Sabellicus ipſe non ſemel . & præcipue hoc
carmine

---Sed quando ingens victoria fluxit
ite meis votis Bacchumq; his vincere terris
ontigit: inde loco maneat Vicentia nomen.

etera , quæ ad Religiones , ad Magiſtratus ,
d Viros celebres pertinent, alterius loci ſunt ,
aiore cura dicenda . Hic Vicentini Crateris
oti quidem inſcripſit Sabellicus , quemq; ego
bi indicaui) ratio aperienda eſt . aperiet au-
m ipſe , qui Litteris conſignauit maiorum
eſtrorum Munificentiam Sabellicus, Lib. VII.
exemplor. hiſce verbis , audiuit Vicetina
Ciuitas ex Rhetoribus noſtræ ætatis Sa-
ellicum obſcuri adhuc nominis peregre
anſeuntem . ceterum dicendi facultatem

tem in eo admirrata, argentea patera magni ponderis, & quod plus fuit Ciuitate donauit. *Et hanc Pateram in carmine Craterem maluit appellare veluti & alterum non minus nobilem Antonius Quærengus tuus qui Romani carminis maiestatem & venusta tem rara mixtura temparauit. tu interim vale uir nobilissime, & Pignorium tuum multis tibi nominibus obstrictum, amare perge. Domi. Kal. Iulij, in quas incidit olim Coronatio Romana Henrici* VII. *Cæsaris, Comitis Lucemburgensis, qui Monarchiæ præclarus artifex, in medio rerum gerendarum cursu haud multo post deficiens, Italiam & Venetiam nostram impacatas reliquit, anno ætatis uno & quinquagesimo, ut loquitur Mussatus nostras. Iterum uale. MDCXXIII*

L. P. MARCO ANTONIO ROMITO

I. CONSVLTO POLITISSIMO.

Epist. XXVII.

STationes designatas iter agentibus, militibus, & tabellarijs, in iuris vestri Actoribus Mansiones appellari & tu obseruas

Ami-

Amice & alij non pauci. Arcadius enim Charisius in L. vlt. ff. de muneribus & honor. hæc habet; hi quoq; qui custodes ædium; vt archeotę, vel logographi, vel tabularij, vel xenoparochi (vt in quibus dam Ciuitatibus) vel Limenarchæ, vel curatores ad extruenda vel reficienda ædificia publica, siue palatia, siue naualia, vel MANSIONES destinantur *&c. Diuus etiam Ambrosius in Psalm. CXVIII. de Milite loquens:* si alio ambulauerit itinere, annonam non accipit, MANSIONEM paratam non inuenit. *in Itinerario, quod vocant Hierosolymitanum, a P. Pitoeo I. C. antiquis æquando, publici iuris facto, Mutationes & MANSIONES passim leguntur: & quandoq; etiam apud Antoninum. imò & Marosticæ agri vestri oppido, in veteri marmore in æde D. Floriani hæc legi audio.*

MARTINA CHARA CONIVX QVAE
VENIT DE GALLIA PER MANSIONES
L. VT COMMEMORARET MEMORI
AM MARITI SVI
BENE QVIESCAS DVLCISSIME
MI MARITE

vbi raro exemplo mulier, longinquis ex oris proficiscens, marito defuncto religiosa officia humanitatis & memoriæ cernitur exhibuisse. num autem hæc fuerit Christiana ego non ausim definire. illa faciunt vt affirmem; venisse de Gallia, VT COMMEMORARET MEMORIAM MARITI SVI. celebris enim est, & perantiqua apud nos designatio Parentaliorum his verbis, COMMEMORATIO OMNIVM FIDELIVM DEFVNCTORVM: apud Vsuardum in Martyrologio, & in Romano presertim. Mansio preterea habitationem signauit; vt apud Apuleium Lib. VIII. *Metamorphos. notante Helmenorsthio*, hac quoq; detestabili deserta mansione. *Et hinc factum est, vt inscriptionem epistolarum obsignatarum Mansionem vulgo appellemus, quod indicet vbi quisque maneat. In sacris etiam Libris extant hæ notiones huius vocis. Numeri Cap.* XXXIII. hæ sunt Mansiones filiorum Israel. *& paulo infra*, iuxta castrorum loca, quæ Domini iussione mutabant. *en MVTATIONES & MANSIONES quas in Itinerario Hierosolymitano superius notauimus. Et hæc videntur fuisse signata castra penes Alcimum*

Aui-

Alcimum Auitum Lib. V.

Ergo vbi signatis sederunt milia castris
Armatusq; pedes vulgus vallauit inerme.

Quod autem CHRISTVS Dominus Ioannis XIV. *dicat*, in domo Patris mei mansiones multæ sunt, *id vero ad Conclauia, & Diætas domus referri debere nemo non videt. Tu interim recte vale, cum tuis omnibus Patauij MDCXXIII.*

L. P. NICOLAO CRASSO IVNIORI I. CONSVLTO VIRO CLARISSIMO.

Epist. XXVIII.

HVmana hominis pars, quæ ab humo nomen sortita in humum quotidie redit, exercuit ingenia Eruditorum sæculi nostri. & quidem ab his multa sunt dicta, multa enarrata, quæ facem præferunt densis tenebris Antiquitatis. multa vero adhuc restare annotanda & illustranda nosti tu Vir Clarissime, qui nobiles Græciæ Insulas, Cretam, Corcyram, Zacynthum, Cephalleniam non dicis

causa, vt pleriq; omnes faciunt, perlustri
sti; sed gentium mores, institutа, legesq; Fi
sci Patronus & Patris tui, Regni Cretæ ma
gni Cancellarij, Comes, accuratè obseruasti
vetustiq; aui reliquias acri cura eruisti, con
cinnasti, & digessisti; instructus magna pe
ritia omnigenæ Historiæ, & Humaniorum
omnium Litterarum. mihi sanè (vt hoc ar
gumentum a puero vsq;, delectu aliquo sun
prosecutus) Iustini aliquot verba scrupulun
semper iniecerunt, vt doctos viros consu
lerem quæ illis esset mens, quouemodo cape
rent non ignobilis Historici verba. scribi
enim Lib. XIX. dum hæc aguntur, legati
Dario Persarum Rege Carthaginem ve
nerunt, afferentes edictum, quo Poen
humanas hostias immolare, & canin
vesci prohibebantur, mortuorumq; corpo
ra cremare potius, quã terra obruere a Re
ge iubebantur. *&c. Scio Ioannem Kirch*
mannum Lib. 1. *de funer. Romanor. Cap.* II.
verborum collocationem transposuisse, repo
suisseq; apud Iustinum, mortuorumq; cor
pora terra obruere potius, quam cremare
a Rege iubebantur. *verum cum ego absti*
neam ab hac metamorphosi, perpendo tamen

Hero-

Herodoti verba, qui Lib. III. *narrans Cambyſen iuſsiſſe, vt Amaſidis cadauer crematurctur, adiecit impiè feciſſe. Perſas enim Deum Ignem eſſe arbitrari, ideoq; nefas eſſe deo depaſci cadauere hominis. quamobrem Ignem inquinare arbitrati ſunt illi ipſa morte acerbius, vt inquit neſcioquis apud Suidam in voce αυθι deq; hoc Ignis cultu apud Perſas non eſt quod dubitemus, quando etiam ipſe Cteſias, in excerptis Perſicis, & Clitarchus apud Diogenem Laertium id teſtati ſint. Itaque in eam ſententiam impellor, vt exiſtimem Darium hoc iuſsiſſe in odium Magorum, quos ferè ad internecionem cæciderat. (hunc enim illum eumdem eſſe arbitror). qui etiam Feſtum Mago-phoniæ inſtituerit, cuius meminerunt Herodotus & Cteſias. Magorum autem inſtitutum fuit Ignis veneratio, vti notat Maximus Tyrius, & e recentioribus Dalechampius apud Athenæum, Sirmondus ad Sidonium, & Otho Heurnius in Indico Cap.* XXVIII. *neq; ſanè Perſa non fuit & & Cambyſes, qui vt vidimus cadauer Igni obiecit depaſcendum. Vel etiam (ſi tibi Amice non improbabitur) leni manu emenda Iuſtinum, vt videlicet ſcripſerit;* dum hæc

aguntur, legati a Dario Persarum Rege Carthaginem venerunt, afferentes edictum, quo Poeni humanas hostias immolare, & canina vesci prohibebantur, mortuorumq; corpora cremare, quæ terra obruere a Rege iubebantur. *hic nullam traiectionem verborum uides, imo percommodū sensum. At obnūtiantibus omnibus, quotquot ego uiderim, Exemplaribus, religio mihi est aliquid in Iustino mutare. Quocirca uulgatam lectionem sollicitandam non puto. tum quia Persæ corpora terra non obruebant, ut fusè explicat ex Agathiæ Lib. II. Heurnius loco citato; tum quia Rex, tactus forte odio Magorum, Cambysis etiam exemplo & alterius cuiuspiam ut uidimus penes Ctesiam, Poenis exteris hominibus aliquid uoluit indulgere. Hæc sunt ornatissime Crasse mea Criteria. tu Aristarchum agas oro; probesq; uel improbes prout animo tuo sederit. Vale, & Romito nostro elegantissimo dic a me multam salutem. Patauij.*
MDCXXIV.

L. P.

L. P. NICOLAO FABRICIO PEIRESCHIO, REGIO AQVIS-SEXTIIS SENATORI, VIRO NOBILISSIMO ET ERVDITISSIMO.

Epist. XXIX.

Omniorum quæstio magnus sermonum campus, magna disputandi materia st, *inquit nostras & vestras Petrarca, Vir rnatissime. fuit hæc area, in qua decerta- unt summorum virorum Ingenia, imo po- ius pelagus, vbi Natura, Doctrina & Su- erstitio diductis ac distentis uelis decurrerũt. Euentorum autem insignium & prædicatorum veluti sine numero pene est numerus, ita in- signem hanc, cui describendæ calamum apta- ui, Epistolam, Viri suo æuo magni, apponere uisum est, editam quidem alias, sed descriptã etiã nobis ex Codice manuscr. in mẽbranis qui fuit portio Bibliothecæ Pinellianæ, quam tu & ego florentem olim vidimus, & magnas plera- que prouocantem copia & raritate Librorum.*

MARSILIVS FICINVS FLORENTINVS BERNARDO BEMBO DOCTORI ET EQVITI, VENE- TORVM ORATORI CLARISSIMO. S. D.

Salue semper amice coelestis atque diui-

ne. ceteros quidem amicos partim mihi fors quædam obtulit, partem propria dedit electio. Bernardum vero Bembum mecum ab initio coniunxit coelum. diuina deinde Prouidentia mirabiliter confirmauit. coelum inquam. propterea quod eodem anno, eademq; die, sub eodem fidere nati sumus. diuinam præterea Prouidentiam nos inuicem deuinxisse ex eo potissimum affero, quod eo anno, quo primum Orator Florentiam accessisti, quarto fere ante accessum mense, mihi grauiter ægrotanti, statim post votum quoddam pro salute Deo diuæq; Mariæ suppliciter institutum, visus es, certe tum primum nobis notus in somnis, ante prorsus incognitus, vitam prosperamq; valitudinem polliceri. experge factus pene sanus breui prorsus conualui. Quinto post mense, qua die voto penitus satisfeci, eademq; hora, nostrum sponte primum adisti Gymnasium, magna comitante caterua. atq; ea forma, qua in somnis olim prouideram diuinitus salutasti. multaq; inter nos dicta tunc, factaq; sunt eodem prorsus pacto, quo somnians

vide-

videram. eodem anno tamquam religiosis votis vitæ redditus Librum hunc de Christiana religione composui. ergo lege feliciter amice coelestis atque diuine; quem certe nobiscum coelum ipsum ligauit ab initio, deinde coelo excelsior religio religauit. Marsilius uus hęc manu propria, idibus Iulij MCCCC LXXIX, in agro Caregio. *hactenus ille, vir doctrina & pietate conspicuus, cuius ea germana laus est, in eius Libris nihil inueniri, nisi quod summa cum virtute sit exultum, & magna cum sanctitate coniunctum vt in eodem manuscripto Codice testabatur Authographum hoc;* Marsilius Ficinus Florentinus Lectori in sola pietate S. D. Lege pia mente Lector nostrum hoc de pia ide volumen. si quid in eo laude dignum epereris Deum lauda; absq; cuius munere nihil est reuera laudandum. si quid minus tibi forte placuerit, noli rerum altitudinem diuinarum ex humani ingenij humilitate metiri. non enim ab humanis diuina, sed a diuinis humana dependent.

Manu propria.

Quo

Quo magis miror Leonardum Lessium insignem Societatis IESV Theologum Lib. II. *de Iustitia, & Iure, Cap.* XLIV. *Dubitatione* II. *num.* VI. *in fine, pronunciasse hæc verba, in quibus modestiã non nemo desidere t*; hinc ferè omnes Platonici vel Magi fuere vel magię fauere. ideo vt etiam Marsilius Ficinus ab hac pestenõ fuerit omnino immunis, vt patet ex Li. III. de vita coelitus cõparãda *Hui! Magus Ficinus. Tu esto arbiter pr munere, quo fungeris summa cum laude vir illustrissime, qui maiorum doctorumq memorias perinde ac rem sacram veneraris. Patauij. MDCXXV.*

L. P. ALBERTINO BARISONO

ABBATI VIRO REVERENDISSIMO.

Epist. XXX.

EGo vero Te Vir Reuerendissime nisi am & colam ferreus planè, & saxeus sim cum Tu Patriam, & res patrias eo loci ha beas, vbi res haberi par est dignas cultu, & veneratione.

O duo

O duo præterea tales Patauina tuliſſet
Terra viros !

t ſanè mirum eſt, cum amor Patriæ vnum-
uemq; alliciat eo ſucceſſu, vt Vlyſſes aſper-
imos Ithacæ ſcopulos præferat contubernio
alypſus, inueniri tamen homines adeo bar-
os, quibus aliena tantum ſapiant, vileſcant
ba. At te Ciue ter beatam Patriam noſtram;
ui res exteras & noſtrates apprimè noris,
ui Romanas & Græcas Antiquitates con-
nxeris cum exacta notitia rerum Pataui-
arum, quas totas a carceribus ad metas non
imel, neq; curſim perluſtraſti. Et ſanè ha-
et Vrbs noſtra magni conditoris & rerum
eſtarum gloria inclyta, non parua etiamnunc
rnamenta, quæ hominem excultum politiori-
us Litteris queant cum fructu, & cum de-
ctatione exercere. exemplo mihi ſit vetus
nſcriptio Rhamnuſiana, quæ proſtat in pa-
ete fornicis prope Pontem quem appellant D.
enedicti. illius antiquum ſegmentum, quod
t aſpectantibus ad dextram, ſuppletum
t noua recentioris lapidis adiectione, ſi Al-
o Manutio credimus, ex fide vetuſti Codi-
s. At illam religioſè, vt æquum fuerat,
eq; illi exſcripſerunt qui res noſtras atti-

gerunt

gerunt, neq; exteri quantumuis docti, & eruditi. Manutius ipse bis peccauit, tum quia non pauca immutauit, tum quia rationes Ortographiæ suæ comprobare annisus est auctoritate segmenti recentioris. Smetius & Gruterus, decepti ab aliquo, qui excepera ositanter, deceperunt & ipsi alios, quibus hæc lustrare vel non contigit, vel non placuit. Andreas etiam Schottus V. Cl. qui omnem Antiquitatem callet, eamq; lotis manibus contrectare amat, Obseruationes suas quas Humanas vocauit, hoc vetere monumento exornatas voluit, Lib. V. Cap. XI. parum tamen & ipse felix in exscribendo. Describam igitur ego nobilissimum hoc cimelium, bona vtique fide. & accedam animillustrandi, non carpendi consilio laudatam illorum industriam, qui opes nostras vel eruerunt, vel indicarunt. & sane turpè est hæc notiora aduenis esse, quam incolis, nescio quo malo Italiæ nostræ fato plaudente & bona quæq; ingenia in Barbariei barathri secum raptante. Verum obnitamur qualicet sitq; nobis, vt fortes viros decet, fatum in dextra. Ostendam autem primum quid peccatum sit in supplemento. deinde notabo quid

pecca-

peccauerint descriptores. tum autem connitar explicare quidquid erit operæ precium. In segmento recentiore qui AELIVS semper fuit perperam HELIVS factus est; & titulo IMPERATORIS numquam vsus, Imperator euasit. addamus P. Coelium & Balbinum ineptè disiungi. & quid, si scribendum fuerat OPTVME, MAXSVME, & FAXSIT? & hæc quoad supplementum. Marmoris quod vetus erat descripserunt Smetius, Aldus, Gruterus, Schottus. mendosè omnes. Aldus pro VIBVLLIO substituit nobis VIRBVLIVM. pro HANC ARAM: VTI; CETER; LEGIBVS; supposuit ARAM; VT; CE..RA; LEGIB. Smetius & Gruterus haud multo melius in eodem argumento versati sunt. Schottus ipse, alienam fidem secutus, vt videtur, quod erat in marmore PIO CO fecit PROCOSS. quod erat EEVNTE, suppleuit PRAEEREVNTE, & alia ad eundem modum. Nos primi bona fide repræsentamus. Præire autem est dictare verba solemnia, quod pontificum erat, vt patet ex Liuio nostro. Lib. VIII. & X. & Plin. Lib. XXIIX. Cap. II. Magmentum; cuius meminere Arnobius Lib.

VII.

VII. *adu. Gent. Varro L.* IV. *de L. L. & Festus (non MAGNENTVM vt visum est doctissimo Turnebo Lib.* XXII. *Adu. Cap.* VI) est quoddam pinguissimum extum, *inquit Ioannes Genuensis*, vel secūdum professum Cornutus, quidquid mactatur, vel quid quid distrahitur dicitur Magmentum. it narrat Hug. Papias etiam dicit, Magmentum alij pinguissimū intestinū, alij secunda professa. Cornutus vero quidquic mactatur vel distrahitur. *Prosiciarum autem extat mentio apud Arnobium. Festu* Prosicium quod prosecatum proijcitur. *Eodem fere sensu eruditissimus Sigonius Libro* II. *de antiquo Iure Prouinciarum* quæ vero exta valde aucta erant, ea Magmenta dicta esse arbitror. cuius vt sacrificalis vocis mentio est apud Varronem Festum, & Arnobium Libro aduersu Gentes VII. & veteri Aræ inscriptione quæ Narbone & Patauij legitur, in qu est, SI QVIS HIC HOSTIA SACRVM FAXIT QVOD MAGMENTVM NEC PROTOLLAT ID CIRCO TAMEN PROBE FACTVM ESTO. vouet enim aram ille, cum e

con-

conditione, vt etiam si sacrificium Magnentum, id est exta aucta non ostendat, nihil tamen triste portendat. vnde Magnentaria vasa esse quidam putarunt, in quibus ipsa magmenta reponerentur. *Imegit tamen & Sigonius ad hunc lapidem, um veterem Inscriptionem appellarit, quæ ro dimidia tantum vetus erat. Leges quæ duntur & Regiones sunt Haruspicum sollemia effata. quo spectat insignis locus M. Varronis Li.*VI. *de L. L. in princip. fere libri. & hisce Regionibus aptabant præsides eos, vti prolixe ridet Arnobius. Lib.* IV. *TI SIS VOLENS PROPITIVS. Cade R. R. Tit.* CXXXIV. Iane Pater te hac rue commouēda bonas preces precor, vti es volēs propitius mihi liberisq; meis domo, familięq; meę. *neq; sanè aliter Liuius. i.*XXIX. eę per manus succedētes alię alijs, mni effusa ciuitate obuiā, thuribulis anianuas positis, qua præferebatur, atque ccenso thure, precantibus vt volens ropitiaq; vrbem Romam iniret. *Coelium albinum quem diximus monstrauit nobis anquus lapis apud Onuf. Panuinum, Ciu. Roana.*

VI.

P. COELIO. P. F.
SER. BALBINO
VIB VLLIO PIO
XVIRO STLITIB. IVDIC
&c.

Et alter apud Gruterum, MIX. *6. in quo legitur*

L. AELIO. CAESARE II
P.COELIO BALBINO COS

ex quo Fuluius Vrſinus in gente Poſtumia reſtituebat in noſtra Inſcriptione

L.AELIO CAESARE II

illud enim IMP. vt diximus abſonum omnino eſt, Hæc abs te non improbari V. Reuerendiſsime votorum meorum ſumma eſt. ex Biblioth. noſtra. XII. *Kal. Mart. MDCXXVI.*

L. P. IOANNI HIERONYMO BRONZERIO PHILOSOPHO, ET MEDICO, VIRO EXCELLENTISSIMO.

Epiſt. XXXI.

PErſianum illud
---o mores ? vſq; adeone

Sci-

Scire tuum nihil est: nisi te scire hoc sciat alter?
vti omnes interpretentur & ego noui, & tu nosti Amice. Dabis tamen veniam, si ego deriuauero ad rem non utique improbandam in studijs nostris, Litterarum uidelicet Humaniorum. scire meum nihil est; nisi me scire hoc sciat alter, alter uidelicet, qui Censorem agat, qui probet, qui improbet; qui rectè dicta Chrisimo excipiat, qui perperam enunciata Obelo confodiat. Naua tu mihi quæso hanc operam hodie. & vide an Auctoribus aliquot feliciter medicinam fecerim. Marcellus vester Vir Inlustris, ex Magistro Officiorum Theodosij Aug. in carmine de Medicina hæc habet

Quodq; ab Idumæis vectum Seplasia vendunt,
Et quidquid confert Medicis Lalagæa Cataplus.

Quæ Cataplus esset hæc Lalagæa ego diu hæsitaui, cum præsertim eruditissimi viri, Iacobus Sirmondus in Notis ad Sidonium, & Gaspar Barthius Lib L. *Aduer. Cap.* VI. *legant diserte,*

E quidquid confert Medicis Lalagæa Cataplus.

quibus & adijcias Martinum Smetium in Prosodia, verbo Cataplus, qui tamen non Martiali, vt facit, sed Marcello, vel Vin-

diciano vt Barthio *placet, hunc versum a scribere debuit. At omnem mihi hæsitationem exemit mos probè cognitus veterum Librariorum, qui syllabas geminare consueuerunt vbi non erat opus, & non geminare vbi debuerant. Lego igitur hic*

Et quidquid confert medicis Lagæa Cataplus.

& erit Cataplus Alexandrina, de qua Casaubonus ad Suetonium. Lagæa a Lago Ptolomæ patre. Lucanus Lib. II. *Nilum Lagæum appellat*

Qua mare Lagæi mutatur gurgite Nili.

& Lib. X.

---regnum Lagi Romana sub arma
Iret---

& eodem Libro de se Cleopatra

---Farij proles clarissima Lagi
Exul in æternum---

& in fine Libri proles Lagæa, *&* Regia Lagi. *Silius etiam Italicus Lucanum imitatus, Lib.* I. *cecinit,*

Terminus huic roseos amnis Lagæus ad ortus,
Septeno impellens tumefactum gurgite pontum.

Martialis Lib. IIX.

Hospita Lagæi littoris vmbra iaces.

Iuue-

Iuuenalis Sat. VI. *v.* 83.

Nupta Senatori comitata eſt Hippia Ludium
Ad Pharon,& Nilum, famoſaq; moenia Lagi
Prodigia & mores vrbis damnante Canopo.

A Marcello tranſeamus ad Marcianum Capellam. hic Lib. IV. *in princ. Dialecticen producit ad conſeſſum Deorum, aitq; fuiſſe illi* geſtamen in manibus inopinũ, ac prorſus Gymnasijs omnibus ineſpertum. in læua quippe Serpẽs gyris imãnib. inuolutus.*& infra* .nimirum inquit Bromius, qui facetior eſt Deorum,eamq; penitus neſciebat, nec aut (*non autem*) ex harenis Lybię anhelantis adducitur, quod & capillitiũ implexum docet,& amicitia venenorum,aut fidendũ forma copulã eſſe Marſicæ nationis. *quis non hæreat continuo in illis duobus verbis*, forma copulam? *ego aio legendum eſſe* pharmacopolã eſſe Marſicæ nationis. *nimirum Marſi apud vniuerſam Antiquitatem famam ſibi compararunt in tractandis Serpentibus. alluſit Bromius ad Pharmacopolas circunforaneos, qui etiam hodie anguino contubernio inſtruunt pompam ſcænæ ſuæ. prætereo Hugonem Grotium hic, Hieronymum Columnam ad Ennij fragmenta,*

& Vmbronem Virgilij, vii. *Aeneid.*
Vipereo generi, & grauiter spirantibus Hydris
Spargere qui somnos cantuq; manuq; solebat.
vbi Seruius præclarè. est vero permirum quod scribit Eustathius enarrator Dionysij: scribere quendam, Romæ Viperas Marsos vocari. at fefellit Eustathium & illum nescioquem originatio vocis & idiotismus. non enim Romæ Viperas Marsos, sed Marassos appellabant, uti etiam nos hodie appellamus & Matheolus ipse ad Dioscoridem Lib. II. *Cap.* XVI. *testatur Marsos, qui se apud popellum iactant veluti gentiles Diui Pauli quem Vipera in Melita insula non læsit, Actor. Cap.* XXV. *Viperas Marassos vocare. At quid prohibet una & eadē opera etiam Prudentio ferre opem? is in Præfatione Libri prioris contra Symmachum luculenter uti solet explicat appulsum D. Pauli ad insulam, quàm diximus, excitatum ignem, Viperæ morsum, & adclamationem insulanorum. mox allegoricè Historiam transferens ad relationem Symmachi, hæc habet*
Seps insueta subit serpere flexibus,
Et vibrare sagax eloquij caput.
Impressi hucusq; habuerūt quos ego qdē uiderī.

Spes

Spes insueta subit----

seps emendabat & rectè Latinus Latinius Viterbiensis eruditissimus Vir, ut me Romæ docuit Iacobus Sirmondus. est autem Seps quidam exiguus serpens, qui non solum corpus, uerum etiam ossa ueneno consumit, ut inquit Ioannes Genuensis. qui citat Lucanum in IX.

Ossaq; dissoluens cum corpore tabificus seps

uocat autem Prudentius Viperam pro copia Poetica Aspidem, Hydrum, & Sepem. Cæcilia & ipsa est de genere Serpentum. ut patet ex Columella Lib. VI. *Cap.* XVII. *quam tamen Librarij apud Vegetium Lib.* III. *Mulomed. qui Columellam penè totum exscripsit, in Celiciam mutarant. e diuerticulo reuertamur in semitam, & Marcianum reuisamus, apud quem eodem loco Bromius ita argutatur,* Quod ni est, ex illius hami fraude colligitur, quod circulatrix pellacissima,& Metarũ Marsicarũ incola cõprobat. *hasce Metas Marsicas ego non probo: & repono Metas Murtias, famosas illas preconio Mercurij apud Apuleium Lib.* VI. *& dictis Seruij, Aen.* VIII. *ad illa*

Confessu Caueæ,magnis Circensibus actis.

Et has quidem Metas in suo Circo maximo

Pyrrhus Ligorius, adiuncta Aedicula Murtiæ propè carceres locauit. in Circo autem ad Metas proſtabant impoſtores, & circulatores. Ennius ipſe commemorauit

---de Circo Aſtrologos

Iuuenalis Sat. VI.

Si mediocris erit; ſpatium luſtrabit vtrinque
Metarum, & ſortes ducet----

& infra

Plebeium in Circo poſitum eſt & in Aggere fatũ

ad quæ carmina ne pigeat videre antiquum Scholiaſten, qui meminit Circi, Circulatorum, & Spinæ Circi. legemus igitur: & Metarum Murtiarum incola comprobat. Hiſce omnibus quæ dixi ſi Tu amice calculum candidum adieceris, erit vt gaudeam impendiſſe me horulas aliquot non malis Auctoribus emaculandis. Vale. domi meæ. III. *Kal. Mart. MDCXXVI.*

L. P. FELICI OSIO
HVMANIORVM LITTERAR. PRIMARIO PVBLICO PROFESSORI.

Epiſt. XXXII.

QVod te Vir Cl. hac mea Epiſtola compellem ea cauſa eſt, vt tu qui helluo

Libro-

Librorum es, videas an ego ab irrisione vin-
dicem subsannatorum, Dedicationes quas vo-
amus Ecclesiarum nostrarum. Iamprimum
ertum est, antiquos veræ Religionis exsor-
es dedicasse & ipsos Templa sua. & notat
atè Brissonius Libro I. *Formularum. qui*
tiam meminit verbi sollemnis DEDICO,
& DEDICAEO; vt rectè habet Dedicatio
Aræ, Salona Patauium translatæ, quæ in
ariete affixa visitur, propè Pontem D. Be-
edicti. neq; aliud sibi voluit Horatius Car-
minum Lib. I. *Ode* XXXI.

Quid dedicatum poscit Apollinem
Vates---

& Arnobius Lib. VI. *aduersus Gantes.* sed
rras (inquitis) & laberis; nam neq; nos
ra, neq; auri argentiq; materias, neq; alias
uibus signa confiunt, eas esse per se
Deos, & religiosa decernimus numina:
ed eos in his colimus, eosq; veneramur
uos DEDICATIO infert sacra & fa-
rilibus facit inhabitare simulacris *& in-*
ra. quinimmo iure DEDICATIONIS
mpulsos simulacrorum coalescere iun-
tioni. *Neq; solum templa, & Simula-*
ra dedicabant illi, sed & Vrbes, Ther-

mas, Balineaue, & reliqua publica opera Idatius Episcopus in Fastis, His Consuli bus dedicata est Constantinopolis die v Idus Maias. *quo die Menologium habe* ΤΑ ΓΕΝΕΘΛΙΑ ΤΗΣ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ ΠΟ ΛΕΩΣ. *quibus concinit Genebrardus. De dicatio igitur Constantinopolis erit dies nata litius eiusdem. quo forsan die cudebantu Nummi ærei minuti cum eius Vrbis imagi ne, veluti & Romæ: qui & nunc copiosis simi eruuntur. & rem ipsam fusè admodun narrat Zonaras, Annalium Tomo tertio i principio. Ex quo discimus non primum ia ctum lapidis fuisse Dedicationem, sed per fectionem operis ad fastigium consummati & huc pertinent Natales Vrbium, qui le guntur non infrequentes. de Thermis iden Idatius.* His Consulibus Thermæ Caro sianæ dedicatæ sunt. *de Balineo vetus In scriptio Nouariensis a Paulo Gallerato editu BALINEVM QVOD VI CONSVM PTVM FVERAT &c. PECVNIA SVA RESTITVIT ET DEDICAVIT. de Statuis clarorum virorum Suetonius, Augu sto Cap.* XXXI. itaq; & opera cuiusq; ma nentibus titulis, restituit: & statuas om nium triumphali effigie, in vtraq; Fori sui

por-

porticu dedicauit. *Arcus & Fornices triumphales inscribuntur et ipsi passim DICATI, vel CONSECRATI. & hæc apud Ethnicos, qui multa communia habebant cum Christianis, vt animaduertit doctissimus Annalium Ecclesiasticorum Scriptor, To.* I. *Anno* XLV. *pag.* 327. *editionis Romanæ: & a quibus multa ad Christianam pietatem translata sunt, vt idem Baronius asserit, eiusdem Tomi pag.* 520. *veluti etiam ipsa templa, quæ erant praua Religionis officinæ, & impietatis asyla, in Basilicas quandoq; transierunt. Magnus Felix Ennodius (quem Innodium appellat Arnulphus Episcopus Lexouiensis) Dictione* II. credo ego vos, fratres carissimi, tota mentis cura venerari, quod in loco hoc, manente Templi nomine, vetus perierit pro religione cultura: quod Delubri reuerentia fugatis instituatur libaminibus, quod sacrarium appellatur merito, postquam seniores hostias abiurauit, & in adolendi mutatione sacrificij, diuinæ Aedis nomen assumpserit. *Apud Hebræos Dedicatio antiquissimi fuit instituti, vt tradunt Valafridus Strabo, de Rebus Ecclesiastic. Cap.* IX. *& Rabanus Maurus, Lib.*

II.

II. *Institutionis clericor. Cap.* XLV. *nec non & Sigonius Lib.* III. *de Rep. Hebræor. Cap.* XVI. *a quibus hausisse nostros nemini, arbitror, dubium erit. ad nostras autem quod attinet, qui ad facietatem volet haurire, is adeat doctissimum Ioannem Stephanum Durantum, de Ritibus Ecclesiæ Catholicæ Lib.* I. *Cap.* XXIV. *quibus adiici possunt Idatij eiusdem verba itidem in Fastis*, His Consulibus dedicatum est Constantinopoli Dominicum die XV. Kal. Martias. *Dominicum autem sacra ædes est, vt ante Baronium in Martyrologij notis, explicat vetus Itinerarium Hierosolymitanum, cuius hæc sunt*; ibidem modo iussu Constantini Imperatoris Basilica facta est, id est Dominicum miræ pulcritudinis. *Pompa ipsa Dedicationis Christianæ luculenta extat apud Venantium Fortunatum Lib.* III. 4.

Conuocat egregios sacra ad solemnia Patres
&
Hinc te Pontifices circundant, inde ministri;
Cingit te totum, hinc honor inde fauor.
Clerus & ecce choris resonat, plebs inde choraulis
Quisquis tuum votum qua valet arte canit.

&c. vt non ab re dixerit Alcuinus Flaccus Caroli

roli magni præceptor, Commentario Lib. V. *in Euangelium Sancti Ioannis, Dedicationem Templi ad tempus vsq; Dominicæ Incarnationis obseruatam fuisse*, quæ etiam salubri consuetudine in Ecclesijs Christi seruari noderno tempore dinoscitur. *neq; vero Alcuinus barbarè vsurpauit Ecclesias Templorum, aut Basilicarum loco; Saluianus enim Massilienſis non semel vsurpauit. Illud etiam disquisitionem tuam meretur, quare Vitruuius Lib.* II. *Cap.* VIII. *dicat nefas esse dedicata remoueri, cum remouerit Plinius Lib.* . *Epist.* LIIX. *&* LIX. *& id ex rescripto Imperatoris Traiani. & an Dedicatio nouitatem dedicauerit, veluti apud Hygenum, de Limitibus constituendis legitur*, ab agrorum noa dedicatione culturæ *colonias dictas es-* ; *& apud Ennodium Dedicatio Auditorij;* Calices dedicati *in Epistola Hadriani Augui, apud Fl. Vopiscum in Saturnino. Insons præterea huius verbi notio me sollicitat, a vtuntur Appuleius Lib.* III. *de habitudi- Doctrinæ. Platonis, & Goffridus Abbas indocinensis Lib.* III. *Epist.* XXVII. *ille enim ualitates Dedicatiuas & Dedicare pro Afmatiuis, & Affirmare; hic Dedicare pro*

com-

commendare & confirmare vsurpant. Hæc ideo ad te V. Cl. pluribus fortè quam ferat modulus Epistolæ familiaris; non quidem vt doceam, sed vt docear abs te, cui intermina Lectio patefecit intima omni-fariæ Eruditionis Domi. MDCXXVI.

L. P. IOANNI THVILIO

HVMANIOR. LITTERAR. PVBLICO PRIMARIO PROFESSORI.

Epist. XXXIII.

NOn omnino inscitè Hirundines olim Cygnos arguebant, propterea quod canendi artem nollent in publicum proferre, sed pratis solum, fluminibus, & Zephyro canerent. occultæ musicæ vetus est dictum nullum esse alicubi commodum V. Cl. cuius ego præcepti memor si quid in arculis meis pluteisue latet, id omne consilium est transcribere publico bono, vt docti homines quos Editioni fortuna destituit uolitent aliquando per orbem virum; & postuma hac fama perfruantur merito iure. vtinam vero quod ego tenuitati

i meæ impero, id exequantur alij copioſ & ocupletes, qui Bibliothecas (niſi Bibliotaphia nalimus appellare) refertiſimas habent inelitis bonorum Auctorum fœtibus, eo conſilio, t in compedibus habeant immortalia monumenta Ingeniorum, donec illa ignis fortuitus edigat in fauillas, vel uis maior hoſtilitatis lio auertat. Hiſce nos precemur bonam entem. tu interim hæc habe in fercula priæ eius Menſæ, quam tu Muſarum Triclio præfectus ſtrenuè apparas accolis Parnaſſi. ranquillus Moloſſus uixit auorum noſtrorum memoria. Cremonenſem facit Gyraldus. o Caſalenſem arbitror, uti etiã ad me ſcriſit olim Vir Nobilis Petrus Antonius Tollẽnus Canonicus Cremonenſis, qui recentem Iſtoriam ſiquis alius amauit, & in precio hauit. illius apud me ſunt Epigrammata, Odæ, legiæ, inedita omnia. excerpſi autem hæc in ratiam tui.

De Naue Farnesii.

i meruit coelum quæ vexit Iaſona puppis
Auſa per ignotas currere prima vias,
Qua vehitur Diuum ſuperæq; Vicarius Aulæ,
Nobilis & toto maximus orbe Leo,
Iæc vna ante alias, tanto victore beata,

Quo

Quo tandem fuerit digna carina loco ?

uidetur autem hæc nauis uectaſſe Leonem in Lacu Vulſiniensi , in quo tractu ut aſſerit Paulus Iouius Lib. IV. Vitæ Leonis X. Alexãder Farneſius Cardinalis Pontificem excipere ſolitus, frequentes uillas atq; prætoria ingenti ac erudito ſumptu paſsim exedificarat . neq; alia de cauſa uidetur ceciniſse quæ proxime ſubnotamus

In Aduentu Leonis Pont. Max.

Hunc quicumq; vides factum de frondibus Arcũ
Forſitan ignoras ſerta quid iſta velint .
Frondibus ornantur magnorum Templa Deorũ
Dum celebrat lætos Martia Roma dies.
Fronde renidet Hymen, gaudet Victoria fronde;
Lætitiæ ſemper conuenit illa noũæ .
Cura Deum manifeſta Leo, quo præſide rerum
Felicem terris credimus eſſe Iouem :
Viſit Alexandri Farneſia tecta, decetq;
Tam feſtum læta fronde virere locum .

item

Ad Leonem Pont. Max.

Cum placidam veris faciem nouus extulit annus
Floribus & læto gramine ridet ager .
Læta quod eſſe vides frondentibus atria ramis,
Tota domus vernat te veniente Leo.

Illa certe locum & occaſionem deſignant

De

De Lacu Vulsino.

Dcia cum Nymphis vitreo Vulsinus in antro
Dum capit, & lætos spectat agitq; choros,
Pulsari liquidas festis clamoribus vndas
Sensit, & ex imo sustulit ora lacu.
Vtq; suas vidit certamina tanta per vndas,
Et volitare citas per vada summa rates,
mperio maris insani sibi gaudeat inquit
Perpetuisq; regat turbida regna Notis
Neptunus, cui Scylla rapax, cui sæua Charybdis
Naufragijs miseras terreat vsq; rates.
er mea vel paruis innoxia regna carinis
Ludere dum proceres, Pontificesq; iuuet.

uæ sane carmina festiua, arguta, & concin-
a mihi videntur, & indigna Lilij Gyraldi
ritica nota: cum Lib. 1. de poetis nostror.
mporum pronunciauit, Tranquillo Molosso
remonensi nondum planè apertam esse viam:
leno tamen gradu ad illam contendere: nisi
uid euntem impediat.
æc quæ subdo grauia sanè sunt, non sine a-
uleo.

Epit. Hadriani Pont. Max.

Quod bonus & recti custos, quod pacis amator,
Correctorq; Aulæ luxuriantis eras,

Sci-

Scilicet hac vna ex causa vir sancte periisti,
Vixisses annos Nestoris improbior.

Aliud.

Longior in terris ætas tibi sancte fuisset
Præsul ad innumeras prodita Olympiadas,
Si male vixisses. breuius tibi contigit æuum,
Exemplum raræ quod probitatis eras.
Distichon hoc, & ipsum enim Antiquitate pe ria facit

De Lusco.

Luscus habet nũmos, habeat, dum, quod facit, ic
In medio sitiat Tantalus Eridano.
Ex hisce paucis tu poteris coniectare quãti pr cij sint reliqua. illa sanè Typographum op periuntur quempiam, & illum quidem ami tem publicæ rei, non gestientem loculos im plere. quos tamen ex huiusmodi merce n mo feret inanes. Eiusdem generis sunt apu me non pauca, velut Publij Augusti Gratian Odarum Liber vnicus; Bartholomæi Fus Leonici carmina; Hieronymi Vallensis Pat uini carmina; Andreæ Nauagerij aliqua, om nia typis destinata. tu vale; & Musas cole Domi. MDCXXVI.

L. P.

P. CHRISTOFORO FORSTNERO

VNIVERSAE HISTORIAE CONSVLTISSIMO.

Epist. XXXIV.

QVod de loco Taciti, Vir doctissime & nobilissime, Lib. XI. *Annalium aurem llis, id vero gratissimum est. non quod o is sim, cuius Tu censuram expetere ma- operè debeas, sed quia pateat hinc mihi mpus, in quo & tibi obsequar, & ea per- scam, de quibus vos magni in re Litteraria nteſignani meritò dubitatis. locus est de nsu Claudiano. in quo Tacitus tradit cen- fuisse Ciuium* LXIX. *centena, &* XLIV. *illia. immanem numerum inquis. & sa- videtur. Verum I. Lipsius in Commenta- ad Tacitum non dubitat, confirmatq; tione & calculo Cassiodori, qui (vt ipse)exprimit sexaginta nouem centena millia. o & Lib.* I. *de magnitud. Rom. Cap.* VII. *etur hunc numerum, & Lib.* I. *Elector. p.* XXVII. *vtrobiq; aduocans in testem la- dem Ancyranum, qui continet Breuiarium rum ab Augusto gestarum, vt nosti. Lipsio*

sunt qui adstipulentur, veluti Hadrianus Pe litus, qui Tacitum Italicè vertit, & alij : A vndè hauserit Lipsius, quem adfert calculum Cassiodori, ego sanè non video. est apud m triplex Cassiodori Chronici editio. Prim Basilienſis, edente Ioanne Cochleo, ann MDXXIIX. secunda Panuiniana, Veneti anni MDLIIX. tertia Aurelienſis, Brosſei anni MDCXXII. hæ singulæ constanter hæ bent, inuenta sunt Ciuium Romanorum centena millia. & XLIV. *alias XLIII. Pa uinius tamen voluit quidpiam deesse in h verbis, vt inter-punctionè testatus est: &* inuenta sunt Ciuiũ Romanorum ... cent na millia, *& XLIV. A Libris sanè manu scriptis nihil iuuamur; cum Vaticanus, C Medicæus inter se pugnent. ab alijs Histori cis nihil opis suggeritur nobis. Lapis ill verè Lapis Mazochÿ f. 24. TEMPORI BVS CLAVDII TIBERII FACT HOMINVM ARMIGERVM OSTEN TATIONE IN ROMA SEPTIES DE CIES CENTENA MILLIA LXX. VII. & ideo Lipsio merito suspectus; mil sanè videtur adulterinus, & plumbei nesciu cuius hominis purum putum commentum*

illa

la enim FACTA OSTENTATIONE IN OMA. mera Italica sunt, fatta la mostra Roma. *Inscriptio Ancyrana descripta nos ab Augerio Busbequio, & primum euulga- ab A. Schotto, tum a Lipsio, Casaubono, Gru- ro, Rutgersio certatim edita habet con- nter sub Augusto, Cap. II. & quidē non semel IVIVM ROMANORVM CENSITA VNT CAPITA QVADRAGIENS ENTVM MILLIA. At census ille Clau- anus proculdubio, maior fuit. ita sanè. hoc tumultu sententiarum dissidere pro- iuius mihi est, quam deliberare cui me par- ad dicam. Gordius hic nodus alium Ale- andrum opperitur, cui suppetat iuuenta ruidior, & recentior a studijs animus. Tu le es Vir Clarissime, cui hæc adorea debetur. ale, interim & me ama. Domi. XV. Kal. Sep. IDCXXVI.*

L.P. IO. HIERONYMO BRONZERIO

PHILOS. ET MED. VIRO EXCELLENTISSIMO.

Epist. XXXV.

Nè tu Lucianum, amice, si non superasti, at exæquasti in festiuo & iocoso Iperne felo tuo. bone Deus? quantum Salis, quãtum Italici aceti, quantum eruditionis & Doctrinæ huic Libello aspersisti? te felicem huiusmodi Ingenio, me tanto patrocinio fortunatum. Hermidorus sanè & tu Dafnidium seruastis, digni vtique Corona Ciuica, quam vobis pertexat Veritas, imponat Humanitas. Animus etiam nunc meminisse horret Tragoediarum, quas in me concitarant malus Liuor, & absurda Imperitia. verum hæc & alia ego

Tradam proteruis in mare Creticum
Portare ventis-----

Illud probè dictum est abs te non vacare Apollini, post Antipodas repertos, descendere de curru, & secedere in Parnassum ad visenda Musas. Antiquitas enim quotidie illum, ac vesperam, in Thetydos cubilia se recipientem fingebat. Ipse apud Ouidium. 11. Metam.

Tunc

Tunc etiam quæ me subiectis excipit vndis,
Ne ferar in præceps, Thetys solet ipsa vereri.

Et hinc Thetyn appellat phoeboea cubilia Silius Italicus Lib. III. *Et Iuuenalis commentus est per quam ridiculè Sat.* XIV.

---Herculeo stridentem gurgite Solem.

Quod vetus Interpres ita explicauit, Gaditano Oceano Sol mergēs stridet, vt si ferrū candens in aqua tingas. *sceptra Pædagogorum! Quam verè scripsit D. Augustinus*, I. *Confession. Cap.* XII. *Vela pendere in liminibus Grammaticarum Scholarum; sed non illa magis honorem secreti, quam tegumentum erroris significare. Verum cupio tu mihi dicas aliquando qua ratione Phoebus apud antiquos Parnassum nonnumquam incoluerit, in contubernio Musarum: cum interdiu semper auriga egerit, & noctu apud Thetyn diuersatus sit. exquire hoc amabo ab Astræa siue Mercurio tuis. Sidonius sanè Apollinaris, poeta elegans & eruditus, in curru Phoebeo Musas locat Carm.* XXII.

Ibant Pimpliades pariter, mediumq; noueno
Circunsistentes vmbrabant syrmate currum.

Persequitur autem

Pendet per teretes Tripodas Epidaurius anguis,

Diffusus sanctum per colla salubria virus.

ego sanè vidi in vetere Nummo anguem ex tantem e Cortina, at non pendentem per ter tes Tripodas. alioqui Cortinis XV. *virorun Delphinus in sūmo reponebatur, vt notat Ser uius ad illa* III. *Aeneid.*

—patrias obtruncat ad Aras.

& patet ex Nummis argenteis Vitellij Augu sti. Tu vale nugarum fatur. Domi, MDCXXVI.

L. P. IOANNI RHODIO DAN C

EXCONSILIARIO NATIONIS GERMA-NICÆ PHILOSOPHORVM ET MEDICORVM. V. CL.

Epist. XXXVI.

Armorum sonitum toto Germania cœlo
Audijt; insolitis tremuerūt motibus Alpes

Libet enim te affari V. Clarissime carmi-nibus maximi Poetarum in argumento non prorsus dissimili. Germania sanè ve-stra, non quidem toto coelo, sed tota terra armorum fragorem experitur; & non Al-

pes

es sed Italia nunc nuper haud omnino in-
olitis contremuit motibus. eos tibi nunc re-
ensere decreui, tibi qui res nostras amas
ut vt peregrinus scies) qui varia Eruditio-
e pectus exornasti, qui ingenium Philoso-
hicis Mediciſq; Exercitationibus excultum
abes. Apulia, quæ & Daunia, portio Re-
ni (vt nunc vocamus) Neapolitani est. no-
tri Apuliam planam vocant, a terrarum la-
e patente planitie. ab exoriente Sole habet
Apuliam Peucetiam, quæ nunc est terra de
Bari; ab occiduo latere Aprutium; a meri-
ie limes illi est Apenninus; a Septentrione
uctu Hadriatico pulsatur. Regio est tri-
iceæ messis feraciſsima, & Gargano mon-
e illustris. In hoc tractu terrarum, hoc an-
o MDCXXVII. die XXX. Mensis Iulij,
irca Meridiem, terra altius concussa,
Oppida Sancti Seueri, Sancti Pauli, Serræ
Capriolæ, Prucinæ, Ripaltæ, & alia non
auca, neq; ignobilia subsederunt penitus;
estigijs relictis paucis omnino. Mons ali-
ubi e terra repente extitit. Lacus Lesinen-
is viginti millium pass. ambitu illico exa-
ruit. Pelagus retrocedens, mox insiliit, om-
nia per tres horas ad stragem & vastitatem

composita, visa & audita. mortalium magna cædes illinc renunciatur: ædificiorum desolatio, magna rerum omnium confusio Seneca olim talia descripsit, regionis ab ha non longe disitæ mala. hoc malum latissimè patet, ineuitabile, auidum, publicè noxium. non enim domos solum aut familias, aut vrbes singulas haurit sed gentes totas, regionesq; subuertit: & modo ruinis operit, modo in altam voraginem condit: ac ne id quidem relinquit, ex quo appareat, quod non est, saltem fuisse; sed supra nobilissimas vrbes, sine vllo vestigio prioris habitus solum extenditur. *non expressisset aptius penicillo. Et sanè Italia nostra leuiter concussa, mea memoria est, non tota, sed regionatim vt ita dicam. Anno MDXCI. die* X. *Iulij, hora prima supra vigesimam apud nos. veluti &* MDXCIII. *die* XXVIII. *Maij. &* MDCIII. *die* XXVI. *Februarij: &* MDCXXIII *die* VII. *Octobris:* MDCXXIV. *die* XIX. *Martij* MDCXXVI. *die* XXV. *Ianuarij. at hæ vibrationes fuerunt potius, quam concussiones, & hiatus. At anno huius seculi duodeuigesimo oppidum Piurij in Rætia Mons imminens op*

pres-

preſsit; & Argentam in agro Ferrarienſi ſecus Padum, terræ dehiſcentis ſinus excepit annis abhinc quattuor. & id quidem nocturno tempore, quo improuiſior grauiorq; peſtis fuit, *vt ipſius Taciti verbis vtar. Afflictis oppidis vt vidimus, id ſolum reſtabat, vt Prouincia aliqua euerteretur, nec ſenſimus diu dilatum. Terra, quod proprium videbatur habere, ſtare dedidicit, fundamenta vrbium diſceſſerunt, titubaruntq; & ſtatim Cereris regnum, & meſsium theſaurum perdidit ipſius terræ labes. terra, quæ altrix, quæ ſtabilis, quæ mater audyt ſemper, illa eadem viros, mulieres, ædificia, non vna ſtrage raptauit, inuoluit; odio pluſquam nouercali. neq; vero adeo me ludit amabilis inſania, vt tibi cauſas huiuſce mali afferre velim. noſti enim tu ſpiritus interceptos, & caua terrarum hæc facinora patrare. addo etiam aquarum calentium venas, & ſcaturigines fontanas Thermarum, quarum aliquam copiam alias in illo Apuliæ tractu fuiſſe euincit nomen Thermularum, hodie Termoli, quas recens hic internus turbo corripuit, noſti autem illa Martialis Lib.* VI. 42.

Etru-

Etruſci niſi Thermulis laueris
Illeſus morieris Oppiane.

Nec eſt profecto quod non timeamus & nos ſuperuenturam nobis cladem aliquam (quod Deus auertat) a contactu vicinarum Apon Thermarum, & inſtabilitate ſuſpenſi & vitium quotidie facientis ſoli. Nimis enim ex vero ſcriptum reliquit magnus vir. omnia eiuſdem ſortis ſunt, & ſi nondum mota tamen mobilia. hunc fortaſſe in quo ſecurius conſiſtis locum, hæc nox aut hic ante noctem dies ſcindet. vnde ſcies an melior eorum locorum conditio ſit, in quibus iam vires ſuas Fortuna conſumpſit, & quæ in futurum ruina ſua fulta ſunt? erramus enim ſi vllam terrarum partem exceptam, immunemq; ab hoc periculo credimus. *& inferius.* circuit fatum, & ſi quid diu præterijt repetit. *hæc ille Natural. Quæſtion. Lib.* vi. *in principio, cum terræ motus magna ſtrage Regulo & Virginio Coſſ. Campaniam vaſtaſſet. Neq; diuturnum ſanè annorum ſpatium hanc nobis memoriam eripiet, afflictæ Vrbis & Regionis ab hac lue. anno ſiquidem* MCCCCXC *nocte quæ præceſſit Conuerſionem S. Pauli,*

hæc

hæc vis Patauium non perfunctorie læsit. & inde accidit, vt etiam hodie Festum illum diem vulgo a terræ motu indigitemus. quod etiam fortè originem traxit a vetustiore concussione, quæ eundem diem Anno MCCCXLIIX. *nobilitauit, referentibus Alberto Argentinense, & Ioanne Villano Lib.* XII. *Cap.* CXXI. *qui Patauium singillatim nominat, Venetias præterea, Pisas, Aquileiam, & tractum Foroiulienſem, Germaniamq;. Verum ominemur lætiora, & componamus nos ad omnia quæ inciderint fortiter & vt viros decet ferendá.* in ea enim tempora nati ſumus, quibus *(vt aiebat magnus vir noſtras)* firmare animum expedit conſtantibus exemplis. *Vale vir amice. Domi. in Muſæo MDCXXVII.*

L.P. GVLIELMO SOHIERO

BELGÆ VIRO NOBILITATE, ET ERVDITIONE PRAECELLENTI.

Epiſt. XXXVII.

RECtè ſentis Vir nobiliſsime (vt ſentiunt alij pleriq; omnes Reipublicæ Litterariæ

ria Principes) è Notitia Antiquitatis pende re cognitionem exactam omnium Historia rum. Marmora siquidem, Nummi, Gem mæ, & reliqua sæculi prisci supellex no minus illustrant res a nobis longa sæculorum serie disitas, quam tenebras vincant Fu nalia, exempli vice sit marmor Rhamnusia num, quod spectabamus huiusmodi.

IANO PATRI
AVG. SACRVM
C. IVLIVS C. F. SER
AETOR AED.
DONATVS AB TI. CAES.
AVG. F. AVGVSTO TORQ.
MAIORE BELLO DELMA
TICO OB. HONOREM
IIVIRATVS CVM LIBERIS
SVIS POSVIT

Iamprimum Ianus Pater appellatur, vt apu Catonem, & Martialem & Arnobium, quo esset

ßet annorum nitidiq; Mundi fator; *vt ca-*
nit idem ipſe Hiſpanus Poeta, Lib. x. 28.
Annorum ſæcliq; caput *inquit incertus iti-*
dem Vates, in Pictura Menſium. deinde il-
lud SER ad Tribum Sergiam pertinere ar-
bitror; illorum AETOR AED prorſus ne-
ſcius. quod enim concinnator Indicis Gru-
teriani SER. ACTOR legit manifeſta hallu-
cinatio eſt. Torques maior deſignat, vt ego
enſeo, Milites quos Vegetius & eius Epito-
nator Modeſtinus appellant Torquatos du-
plares, quibus *(inquit Vegetius Lib.* II. *Cap.*
VII.) Torques aureus ſolidus Virtutis præ-
mium fuit, quem qui meruiſſet præter lau-
dem interdum duplas conſequebatur an-
nonas: duplares duas, ſimplares vnam.
Torquis autem figura cernitur in veteribus
Nummis. in Denario primum L. TORQVA-
TI, vt animaduertit F. Vrſinus in gente
Manlia: & quidem in ora ipſius Denarij.
tum in nummulo æreo, quem ego alias vidi,
& exhibetur ab Antonio Auguſtino Dial. I.
Antiquitatum, editionis Romanæ, ſpecie
Dracunculorum *ſemet reſpicientium, cau-*
dis connexis. Et hanc eamdem ſpeciem ex-
primit antiquum marmor, cuius mihi olim

copiam

copiam fecit vir nobilissimus, idemq; in litteratos omnes propensissimus Nicolaus Fabricius Peireschius, Regius in Aqui Sextiensi Curia Senator,

TORQVEM AVREVM EX DRACVMCVLIS DVOBVS

Nostrum vero Marmor habet C. Iulium donatum fuisse TORQVE MAIORE, ob annonas fortè duplares. Notandum autem est, Bellum Delmaticum dici, non vitio Quadratarij, sed recta scribēdi ratione, licet usus nūc Dalmatiā ferat & Dalmaticū. Velius sanè Lōgus in Libello de Ortographia sic habet: placet etiam vt Delmatiam, non Dalmatiam pronunciamus, quoniam a Delminio maxima Ciuitate tractum nomen existimetur. *& Aurelius Victor, ex editione Andreæ Schotti V. Cl. de P. Scipione Nasica scribit,* Consul Delminium vrbem Delmatarum expugnauit. *Ita etiam præfert æneæ Tabula, quam edidit F. Vrsinus in Gente Pomponia, in qua recensentur Pedites & Equites, qui militant in Chorte* III. *Alpinorum, & in* VIII. *Voluntariorum Ciuium Romanorum, qui peregrinæ conditionis probati erant, ET SVNT IN DELMATIA. Num-*

mus

mus quoq; aereus extat apud me ita inscriptus
FL. DELMATIVS NOB. CAESAR;
llius nimirum Delmatij, quem Dalmatium
Scriptores omnes perperam appellant, quiq;
filius fuit Anniballiani fratris Constantini
Magni. cuius nomen Adolphus Occo ex Ve-
io Longo nititur eruere, nescio quam bona
fide. Codex enim Romanus, & editio Iu-
niana Lectionem Occonis respuunt omnino.
De bello autem quod Tiberius cum Delmatis
gesit, consulendus est Suetonius, in Tibe-
rio Cap. IX. ex hinc Rheticum, Vindelicumq; bellum, inde Pannonium, inde Germanicum gesit. Rhetico atq; Vindelico gentes Alpinas; Pannonico Breucos, & Delmatas subegit. *ex quibus Suetonij verbis elicimus oeconomiam militarem, quæ apud Romanos fuit, cuiusq; ueligia retulimus ex ænea Tabula proximè citata, in qua Cohors* III. *Alpinorū in Delmatia militabat. OB HONOREM* IIVIRATVS. *Vlpianus in L.* 1. *ff. de albo scribendo;* sed si Lex cessat, tunc dignitates erunt spectandæ, vt scribantur eo ordine, quo quisque eorum maximo HONORE in municipio functus est. puta qui DVVMVIRA-

RATVM gesserunt, si hic honor præcellat &c. *Paulus in L.* VII. *ff. de Decurionibus*, is qui non sit Decurio, DVVMVIRATV, vel alijs HONORIBVS fungi non potest. *Appuleius in Apologia quam uocant primam*; in qua Colonia Patrem habui loco principe DVVMVIRALEM, cunctis HONORIBVS perfunctum. *Festus Rufus Auienus, in ora maritima, de Tartesso loquens*

At vis in illis tanta, vel tantum decus
Aetate prisca sub fide rerum fuit,
Rex vt superbus omiumq; præpotens,
Quos gens habebat forte tum Mauruſia,
Octauiano Principi acceptissimus,
Et Litterarum semper in studio Iuba,
Interfluoq; separatus æquore
Inlustriorem semet Vrbis istius
DVVMVIRATV crederet---

Duumuiri autem erant Magistratus in Colonijs, vt ostendit Cicero in Agrariã. II. cum ceteris in Colonijs Duumuiri appellentur, hi se Prætores appellari volebant. *notat autem ibi pluribus uerbis superbiam Campanam, quæ Romam æmulari Prætura*

Li-

Lictoribus, Fascibus, & reliquo apparatu onstituerat. Quod hic noster CVM LIBERIS SVIS Posuerit, id uero non est ociosum. ad filios etenim transibat honor Dumuiratus Patris ipsius, ut uidimus proximè pud Appuleium; & magna fuit semper uis n exemplo paterno ad capessendas Religiones, t innuit cum irrisione Iuuenalis Sat. XIV.

Quidam sortiti metuentem sabbata Patrem
Nil præter nubes, & Cœli numen adorant.
Nec distare putant humana carne suillam
Qua Pater abstinuit.---

Abstineo pluribus, ne te inaniter fatigem in e satis obuia. Tu Vale, & hæc pauca obseruãiæ erga te meæ testimonia æqui boniq; consule. Domi MDCXXVII. Nonis Iannarij, quibus Carolus Audax, Belgij uestri fulmem, ad Vanceium occubuit, anno MCCCCLXXVI. *non Anno post ut habet Megiserus.*

L. P. ALBERTINO BARISONO
ABBATI, VIRO NOBILISSIMO, ET REVERENDISSIMO.

Epist. XXXVIII.

ESse quid hoc dicam Vir nobilissime, quod accuratus nostrorum recentis huius sæ-

culi hominum stylus, desumpserit sibi aliqua cum ambitione narranda, bella Gallica, Germanica, Belgica, Hungarica; & nemo animum adiecerit ad enarrandum bellum atrox, & intestinum, quod Barbaries quotidie concipit, commouet, agitat aduersus elegantiam veteris æui, qua vna stat perenne decus Italiæ nostræ? Et sanè maiores illi nostri, quorum nominibus etiam nunc non sine aliqua veneratione aßurgimus, cum æternitatem perpetim cogitarent, subsidia sibi aduocarunt earum rerum, quæ ætatem ferre, & prorogare possent res æterna memoria dignissimas. hinc sepposuerunt sibi Papyros, Membranas, Marmora, Metalla, quibus consignarent Doctrinarum præcepta, seriem rerum ab ipsis gestarum, vultus suos, descriptiones q; illorum ædificiorum, quibus non mortales, sed Heroes & Genij manum ingeniumq; commodassent. Verum Barbaries non irrepens, sed palam, post renatas Litteras, sub Larua virilis frugalitatis, hoc totum inconditis lacertis, & machinis muralibus aggressa est demoliri. Papyros enim tineis, blattis, sordibus, si tui obiecit. Membranas Cribris, Cytharis, & operculis Trullarum vinariarum destinauit. Marmora vel

in

in Fornaces calcarias, vel in fundamenta murorum coniecit; Metalla in Pelues, Cadabos & Mortariola conflauit. vt nimirum memoria omnis insignium rerum funditus & radicitus periret.

O noua pugnandi species! non ales harundo
Neruo pulsa fugit, nec stridula Lancea torto
Emicat amento, frameam nec dextra minatur.

Papyri folia hodie adeo rarò apparent, vt miraculo sint, & segmentis, potius, quam totis voluminibus ornent Bibliothecas. Me adolescente magna copia Librorum in membranis descriptorum, ex oppido agri nostri non infrequente, neq; obscuri nominis, Venetias transata est, precio redempta ab ijs, qui Vina Creica venditant. cui vsui nemo non intelligit. Marmora Litterata infringi, corrumpi, peruersè locari, terra obrui passim videmus. Et satis notum est, quod non sine stomacho narrat Borghinius, de Origine Florentina, caput 2. Fabij Maximi in Theatro Florentino erutum, mox fuisse proiectum in fundamenta, quæ recens locabat homo stolidus, qui thesaurum nactus erat Aesopio Gallinaceo similis. neq; ab isto egregiè fatuo valde abijt homo ex Venetia nostra, qui nummos aureos

antiquos multos & precioſos conflauit, vt Torquem vxori ex ijs pararet. In quo genere inſaniæ non erat cur Hiſpania Italiæ concederet. quando referente A. Schotto Cl. Viro, in Bibliotheca Hiſpanica; ex magna & accuratè collecta Numiſmatum veterum copia, heres Ioannis Andreæ Stranei Valentini eruditi hominis, mortarium ad pharmacopolij ſui vſum ſibi conflari curauit. dignus vtiq; ipſe piſtillis, ſed in grandiore mortario Anaxarchi more tundi. At hiſce ſtolide (neſcio imperitis an prauis) faſtigium amentiæ inpoſuit, niſi quis improbitatem appellare malit Aurifaber quidam Romæ, qui me ibi degente, anno MDCVI. non aliam flaturariam profitebatur, quam Nummorum veterum aureorum, & argenteorum, quo etiam titulo artificium ſuum venditabat. & hoc Romæ videbatur, & ferebatur, vbi olim Lex Cornelia Nummaria lata fuit, qua tenebatur vt inquit Paulus. I. Conſultus Lib. I. Sententiar. tit. XXV. qui nummos aureos argenteos adulterauiſſet, lauiſſet, conflauiſſet, raſiſſet, corrupiſſet &c. At hæc non vitia hominum eſſe quis clamet, ſed Barbabarici vt diximus, quæ etiam me inſpectan-

te

te manus temerarias admouit (sed irrite conatu) Arcui triumphali, quem S. P. Q. R. Fl. Constantino Max. Aug. dicauerat. vt videlicet Nouatores Transalpini possent aliquando dicere Constantinum Romæ numquam fuisse; & fabulas esse nostrorum hominum, quæ de Lepra Constantini, de eiusdem in sacras Basilicas munificentia feruntur. vidit hoc Paulus V. P. M. qui huiusmodi temeritatem tunc coercuit, & Pompeio Arrigonio summæ dignitatis Cardinali se purgauit, factum detestanti, & improbitatem fabrorum arguenti. & profectò Antas striatas, quæ fuerant ablatæ, Pontifex vrbani decoris mirè studiosus, reponi iussit, hoc vno parum æquus, quod eum cuius ausu præclarum vestigium Antiquitatis tentatum fuerat, indemnem reliquit. debuit enim hominem aliqua saltem ignominiæ nota respergere, tum vt huiusmodi Harpyæ abstinerent deinceps vngues a parietinis venerandis, tum vt maleuolis os obstrueretur, qui Syxti V. beneficentia factum esse dicunt, vt Seueri Septizonio careamus, & aliorum Pontificum incuriæ, non Barbarorum immanitati adscribunt Colossei populationem, cuius marmori-

bus detractis & aliò translatis succreuerint ædificia recentiora, magno cum priscæ Gloriæ detrimento, nec minore probro eorum, qui huiusmodi facinora poterant inhibere. vere enim scripsit (quisquis ille fuit) nihil esse quod de veteris Romæ maiestate docere nos posset, præter ipsas ruinas. Franciscus enim Petrarca, vir sui sæculi princeps. Lib II. Epistolar. ad Ioannem Columnam scribens affirmat, sibi non esse quod scribat, miraculo rerum tantarum quas viderat, & stuporis mole obruto. addijtq; hæc, digna vtiq; quæ Romæ vbiq; legantur & scribantur. vnum hoc tacitum noluerim. contra ac tu suspicabaris accidit, solebas enim memini me veniendo dehortari hoc maximè prætextu, ne ruinosæ Vrbis aspectu famæ nō respondente atq; opinioni meę ex Libris conceptæ, ardor meus ille lenteſceret. ego quoq; quamuis desiderio flagrarem, non inuitus differebam, metuens ne quod ipse mihi animo finxeram, extenuarent oculi, & magnis semper nominibus inimica præsentia. illa vero (mirum dictum) nihil imminuit, sed auxit omnia. verè maior fuit Roma,

maio-

maioresq; sunt reliquiæ, quam rebar. iam non orbem ab hac vrbe domitum, sed tam sero domitum miror. *Quorsum inquies hæc longa & verbosa Epistola, seu verius Declamatio? multa sunt uir Reuerendissime, quæ huc me adegerunt, sed duo in primis. primum vt oculis subiicerem acrem pugnam nos proterere gestientis Barbariei, cui par est vt pectus obtendamus, reiciamusq; in desertas aliquas oras, vbi se iactet regnetq; diu: tum vt patefacerem quo in precio sint habendæ a nobis qualescunq; reliquiæ Vetustatis: a quibus manat ad nos notitia earum rerum, quas ignorare vti turpe est, ita percipere glorioſum. Exemplo sit vetus hoc marmor, quod hic apud Ramnusios repositum, quamuis aliqua luce Vetustatis perfusum, iacuit tamen hactenus, animum nemine aduerente: dignum tamen quod in publicum non sine honore prodiret.*

AVRIBVS
B. D. D
PETRVSIA
PROBA
MAGISTRA
GALGESTI
HERMEROT

Auribus autem dedicatam fuisse uel Arulam uel Tabellam nemo mirabitur, uti ego arbitror, niſi qui earum uſum non agnoſcet in rebus percipiendis, quæ magiſterio indigent. Huc forte huc pertinet Libatio Aurita, quæ legitur apud Philoſtratum Lib. IV. de Vita Apollonij Tyanæi, niſi quis referre malit ad ſeruum quempiam ab Auribus, qui æmulatus fuerit in priuata familia, ſeruos Regios Perſarum, quibus inditum erat nomen Otacuſtarum. Verum hæc fortè uidebuntur (uti ſanè ſunt) nimis recondita. ad Magiſterium reuertor, cuius mentionem facit & ipſum marmor. in quo munere præſtare oculis aures Lactantius Firmianus Lib. III. de falſa Sapientia Cap. IX. affirmauit. ſubſannans enim Anaxagoræ Philoſophi reſponſum profitentis ſe natum Coeli, ac Solis videndi gra-

tia,

tia, ita scribit. quid ceteræ corporis partes? anne carebunt suis quæq; muneribus? quid, quod plus est in auribus, quam in oculis situm, quoniam & doctrina & sapientia percipi auribus solis potest, oculis solis non potest? *Et hinc uidetur natum, ut Auris Mineruæ sacra esset. quod arguamus licet e uerbis antiqui Tituli apud Gruterum. MLXVII. I.*

MINERVAE. AVG.
L. CALLIDIVS. PRIMVS
BRIXELLANVS. EX ARG.
LIB. II. ITEM. L. CALLIDIVS
PRIMVS. AVRES. ARGENTEAS
V. S. L. M.

nisi hæc fuerit Minerua Medica, cuius & in antiquo lapide extat mentio. Alioqui Aures Memoriæ sacræ erant. inquit Plinius Lib. XI. *Cap. XLV.* est in Aure ima Memoriæ locus, quem tangentes attestamur. est post aurem eque dextram Nemesios, quæ Dea latinum nomen ne in Capitolio quidem inuenit. *Et Aurem uellere alte spirantibus Adrastiam pronunciauit Ammianus Marcellinus*

linus Lib. XXIV. *at Seruius doctissimus Gram maticorum ad* VI. *Eelog. hæc tradidit.* Auren autem ideo quia Memorię consecrata est vt Frons Genio', Digiti Mineruæ, Ge nua Misericordię, *quibus addo ego ex Ma crobio Carnæ Deæ Vitalia, Lib.* I. *Saturnal Cap.* XII. *& Fidei Dextrã ex Plinio, & ex ÿ. quæ ego disserui olim per Epistolam cum Vir Illustrissimo Scipione Cobellutio, qui Roma nam purpuram (dum fata Deusq; sinebant, probitate, & eruditione illustrabat. Auris auti quo gestu velleretur explicuit ex veteribus monumentis doctissimus Pierius Valerianus Lib.* XXXIII. *Memoria verò & ipsa (vt etiam hoc Auribus nostris demus) in Dearum cen sum relata fuit, vxor Iouis, Musarum ma ter, ex Arnobio Lib.* III. *& culta Carthagine, vt tradit Idatius Episcopus in Chronico, scri bens de cæde Heracliani. Et hæc an sufficiant tu videris V. Reuerendissime, qui Epistolas ad te meas deinceps poteris iure tuo appellare mo lestiam & tædium Aurium, vt olim Alexan der mulieres Persides (sed aliò sensu) ægritu sed alio dines oculorum. Valc. Domi.*

L. P.

L. P. IOANNI BONIFACIO

I. C. ADSESSORI CELEBERRIMO, HISTORIARVM SCRIPTORI CLARISSIMO.

Epist. XXXIX.

SApientem suum sacri Auctores hac insigni nota præter ceteras circumscribunt, t, Narrationem virorum nominatorum *onseruet, Ecclesiastici Cap.* XXXIX, *vt tu opime meministi V. Cl. & sacrorum Librorum studiosissime. Quod tu an præstiteris estabuntur Lucubrationes tuæ, quæ tam diu igebunt florebuntq;, quam diu bonis Artius erit fauor & cultus. ego sanè cum in liquem plausum nominis & Litterarum ire esiderem, vt inquit Phaedrus, arripio luens occasiunculam te salutandi, & in luem sub auspicijs tuis promendi, quæ de Burundio Iudice Pisano mihi sunt non ita reens annotata. Et sanè iure merito nostris ominibus aliquis calami ductus impenditur, ui se a Barbarie non totos opprimi passi sunt, ui studia vtcunq; iuuerunt, & qui densas*

sæculi

sæculi tenebras aliqua luce dispellere sunt co-
nati. huiusmodi fuit sua ætate Burgundio
siue Burgundius Iurisperitus Pisanus, qui flo-
ruit circa annum MCLX. Huic sunt qui ad-
scribant versiones eorum, quæ in Pandecti-
græcè leguntur, licet Accursius Bulgarum
interprètem esse velit. porrò hic noster tum
temporis Græcæ linguæ peritia inclaruit. &
memini me videre olim apud Nobilissimum
Virum, & ab Eruditionis laude clarissimum
Io. Vincentium Pinellum, Codicem manuscr
hoc titulo, Incipit Liber Vindemiæ a do-
mino Burgundio Pisano, de Græco in la-
tinum translatus. *quæ erant aliquot Schæ-*
dia Geoponicon. Incidit etiam in manus
meas versio libelli nescio cuius, Gregorij Nys-
seni, ita inscripta;

Liber B. Gregorij Nysse incipit.

Dominatori Friderico inuictissimo Ro-
manorum Imperatori, & Cæsari semper
Augusto a Burgundione Iudice nationi
Pisano pertranslatus anno Incarnationis
Domini MCLX. Indictione XIII. *incipie-*
bat autem, Inuictissimo, & gloriosissimo
Domino. *finiebat*. propter vtilitatem il-

lorum

orum abſtulerunt. *Mutius autem Panſa, n Bibliotheca Vaticana, de eodem tradit, interpretem egiſſe Euangelij Sancti Ioannis, & Librorum Geneſis nonnullorum: & fuiſſe acrem Ioannis Chryſoſtomi prædicatorem. uod (vt videbimus) ex ipſius etiam Epitahio compertum eſt. hoc autem huiuſmodi ſſe accepimus*

Quis, qualis, quãtus iacet hic in marmore clauſus
Ille vir egregius promitur inferius.
Deceſſit ſenio propria Burgundius vrbe,
Cui ſimilis viuens vix fuit eſt vel erit.
Omne quod eſt natum terris ſub Sole locatum
Hic plene ſciuit ſcibile quidquid erat,
Optimus Interpres Græcorum fonte refectus
Plurima Romano contulit eloquio.
Commentor primus, Chryſoſtomus ille ſecũdus,
Claruit expoſitor, ſcripſit & innotuit.
Docta patet late Doctoris epiſtola Pauli
Otia cuius erant ſcribere, cura, labor.
Inuidia caruit, vitam ſine crimine duxit,
Illeſus vitijs, noxia quæq; fugans.
Gloria, Laus, & Honor proles generoſa parẽtum,
Id fuit in terris, Sol quod in axe ſuo.
Venit vt ad caudam plenus mercede laborum
Inquit terrenis hoſpita terra vale.

Debi-

Debitor insignis ne creditor opprimeretur;
Psychem namq; polo reddidit, ossa solo.
Qui legis in titulo sic si cupis esse probandus
Huius ad exemplum curre per alta maris.

Quibus sanè carminibus non omnino mali, non contentus, qui memoriam posuit, adieci etiam hæc rithmica, quibus sanè carere æqu animo poteramus.

Doctor Doctorum iacet hac Burgundius vrna
Schema magistrorum laudabilis & diuturna.
Dogma Poetarum, cui Littera Græca Latina
Ars Medicinarum patuit Sapientia trina.
Et nunc Pisa dole, tristeris Thuscia tota.
Nullus sub Sole est, cui sic sunt omnia nota.
Rursus ab Angelico coetu super æra vectum
Nuper & Angelico cœlo gaudete receptum.

Anno Dom. MCLXXXXIIII, III. Calend Nouembr. Et de Burgundio hactenus, qui til V. Cl. acceptum ferre debet, quod tanto po tempore producatur

in dias luminis otas.

Vale, Pignorij & Sandellij tuorum memor. Patauij. MDCXXVII.

L. P.

P. MARTINO SANDELLIO

IVRISCONSVLTO VIRO REVERENDO.

Epist. XL.

Rustum veteris Inscriptionis e marmore Pario, notatum elegantissimis characteribus, a sæculo vt videtur Augusteo, in Templo D. Martini nuper effossum, cui tu merito præes, postulas tibi explicari; notis videlicet implicitum, & a corpore suo auulsum. Cum ego tibi Amice gentem Asclepiadarum videor attingere cognatione? An vero profiteri me censes disciplinam Cornelij nostratis? Verum age experiamur. frustum eiusmodi.

Continet autem quantum ego conijcio sum
nam pecuniæ legatæ in tuitionem Monumenti
ali-

alicuius. Hæc enim erat solemnis formula legandi. cuius vestigium extare in vetere Gallica Inscriptione apud Gruterum CLI. 9. sunt qui credunt. ego non item.

QVOD. IN. ACRO. PROPRIO. CONSTITVTVM. TVENTIONI. OMNIVM. VOLVERVNT. ESSE. COMMVNE. &c. ibi enim Tuentio est inspectio, non tutela Monumenti, cuius penes accuratissimum Brissonium Lib. VII. *Formularum extat mentio accurata, quam confirmant veteres Inscriptiones apud Gruterum* CCCXCIX. I. DCXL. II. *At summa pecunia valde ingens. fateor, & scio Aristotelem Lib.* IV. *Ethic. Cap.* II. *monere non eodem sumptu Fanum, & sepulchrum ædificandum esse. Verum nostri maiores insanierunt circa hæc annorum ludibria: tamquam sepulchra eorum essent, vt inquit Regius Psaltes, Psal.* XLIIX. Domus illorum in æternum. *Et hi sic delirijs compescendis insudarunt quandoq; præceptis & monitis Leges & Legum Consulti. at præualuisse hic etiam præposterum luxum, testes sunt, insanæ substructiones alique quot, quas temporis edacitas minimum attigit. vt in Munatij Planci Oratoris, & Mo-*

tellæ

ellæ 2. Cretici filiæ Mausolæis videre est. Hæc erit Historia seu verius fabella Deiphobi tui vir amice. an vero ille, vt alter Priamides olim Aeneam, me sit compellaturus.

— nihil o tibi amice relictum est
Omnia Deiphobo soluisti, & funeris vmbris

ego quidem nescio. tu scies, qui illum habes contubernalem, & cum illo vna omnis Antiquitatis perritissimæ notitiam. Vale.

n Biblioth. nostra. Idib. Mart. MDCXXVII.

L. P. ANNIBALI CAMPEGIO

I. CONSVLTO TICINENSI IN PATRIO GYMNASIO IVRIS CIVILIS INTERPRETI DOCTISSIMO.

Epist. XLI.

HAud diu est V. Cl. cum ego Veritatis eruendæ gratia, & calumniæ propulsandæ, Iulium Paulum I. C. Romæ patriæ asserere, scripto edito sum conatus. in ea causa quam strenue me gesserim ego quidem non dispicio. Amici, quos consului, mira retulerunt. verum ego qui sciam præstigias Amo-

rem facere, minimè credulus fui, & vn
mihi dictum fuisse sum arbitratus.
Tecum habita. noris quam sit tibi curta Supellex
Illa cum scripsissem peruenit ad manus mea.
Cõmentarius inscriptus BIINOMIKON, *seu d*
iurisperitis sectus in duos Libros, auctore Io-
anne Bertrando Præside Tolosano, viro san
docto, multæ Lectionis, & acris Iudicij, cu
plurimum debent veteres Iuris Auctores. Hi
Libro primo, proprio capite de Iulio Paulo
Paulum ipsum Tyrium fuisse credidit, atq
adeo rationibus demonstrare annisus est. Qui
bus ego perlectis meas partes omnino ess
censui, Paulum non sinere diuelli à patrij
Laribus, sed proprium decus Romæ seruar
Italiæq; nostræ. Tui vero arbitrij V. C
hæc omnia vt facerem non vna Humanita
tua impulit, quæ me alias per Litteras vi
notum & oculis laborantem compellauit; ve
rum & insignis peritia, qua clues inte
prima Italiæ terræ ornamenta, Iurisciuili
& elegantiorum Litterarum, veluti Nom
co-politicus tuus, & Tetrachordum Musis &
Apolline dignum abundè testantur. verum
manus conferere præstat, quam Modestiam
tuam veris etiam laudibus onerare. Ber-

tran-

randus Tyrium fuisse Iulium Paulum ex eo
rimum capite credidit, quod ab Vlpiano,
& Mammæa Alexandri vxore (Matrem vo-
luit dicere) dilectus fuerit. At eadem san-
tissima foemina videtur in precio habuisse
Fabium Sabinum, Aelium Gordianum, Pom-
ponium & alios, qui non ideo minus Roma-
ni fuerunt, quod Vlpianus & Mammæa ip-
os diligerent. Imo qui Alexandri vitam
ripserunt, non vtiq; siluissent hanc ne-
cessitudinis causam, si Paulus Tyrius fuis-
set. neq; Paulus ipse elabi sibi passus fuis-
set occasionem Patriæ contestandæ, in L. VIII.
de Censib., *cum Tyriorum ciuitatem no-*
minaret, quam Vlpianus (vt suam originem
otaret) non præterijt in L. I. eiusdem Tituli.
am verò quod Paulus in L. IV. §. item si quis
f. de penu legata dicat, nomen penus mihi
raditum est omnibus generibus dici, nul-
am peregrinitatem arguit. voluit enim signi-
ficare traditum id sibi a Præceptore, qui fuit
ex Aelio Lampridio, Aemilius Papinianus. &
pud Latinos, vt vel pueri ipsi sciunt, Ma-
istri dicuntur tradere. Quod autem in L.
VII. ff. de Exceptionibus seruitutes videatur
orpora appellare, hoc verò non est proprie-

tatem verborum latinorum ignorare. non eni
dicit Paulus quod illi affingitur; neq; apud
fricanum vel Paulum alicubi seruitus nomin
tur. Viam & Fundum tantummodo diuer
corpora appellat, & rectè, quod perinde es
ac si dixisset esse res diuersas, vt ibidem n
tat Accursius. qua ratione Vlpianus dixit l
ci corpus *in L.* IV. *ff. si seruitus vendicetu*
alioqui & ipse Paulus nouerat, seruitutes pr
diorum rusticorum & si corporibus acced
rent, incorporales tamen esse L. XIV. *ff.*
seruitutibus. vt proinde iniuria dicat Be
trandus imperitum fuisse Latinitatis. qu
profecto nemini in mentem venerit, qui l
gerit Paulum, & alibi, & in Titulo de Ve
bor. signific. Digestor. Libro L. Nec adm
dum iuuat coniecturam Bertrandi, quod Gra
cas artes in explananda Iurisciuilis scienti
attulerit. incidit enim Paulus in saculu
græciſſans, quod elegantiam ducebat Græc
Litteris vti. & indicant hoc Pomponij,
Vlpiani scripta, Heluijq; Pertinacis, & D
uorum Fratrum rescripta & aliorum passi
in oculos incurrentium. quod profecto nouu
non fuisse institutum, dicet nobis Iuuenali
Sat. III.

Quæ

Quæ nunc diuitibus gens acceptissima nostris,
t quos præcipuè fugiam properabo fateri,
Nec pudor obstabit. non possum ferre Quirites
Græcam vrbem——

Quod ab Augusto vsq; per manus ferè aliorum mnium Principum traditum, ad Alexandrum tiam Seuerum manauit. qui referente Aelio Lampridio, facundiæ fuit Græcæ magis quam Latinę. & Lectioni Græcæ operam naiorem dabat & legebat, sed Græca nagis. *quid igitur mirum si ferè omnibus Græca arriserunt? neq; immorabor in re noa. illud vnum animaduertam Legem* IX. *ff. de supellect. legata in meo Codice & in Pandectis esse Papiniani, non Pauli. quod tamen arum refert. Homerus. n. nulli ferè Latinorum non dictus est, qui non ideo tamen Latini esse desierunt Hippocratis sententia in L.* XII. *de statu hominum, quoad rationem partus oraculum est. cui viri maximi acquieueruut, vt refert Carolus Annibal Fabrotus doctissimus Anteces sor Aqui-Sextiensis, in politissima, quam edidit Exercitatione de tempore humani Partus; neq; illa magis Paulum græcum hominem facit, quod ipsam recipiat, quam dictio græca M. Aureliũ Antoninũ, qui Libros*

de vita sua græce perscripsit. & sicut nemo sanus Cornelium Celsum peregrinum appellarit, quia dictionibus Latinis verba Græca adhibuerit non semel; ita nemo Paulum aduenam esse definierit, quod in L VII. §. hæc VOX *ff. de Edendo, dictiones Latinas per verba Græca explicauerit. quod & ab alijs non Græcis passim est factitatum. Vt proinde falsos insigniter fuisse appareat Othomanum, & Marcilium, qui Græcum indigitauerunt. quos meminisse æquum erat, dissidere I. Consultos à Pythagoræis: & frustra auctoritatem dicentis obtendi, quæ ratione destituatur. Ad illa autem, quæ ex Cuiacio afferuntur Lib.* XXI. *Obseruation. Cap.* XXVI. *paruo negotio respondemus, studiosum à Latinis eodem sensu dici etiam classicis & non ita nouicijs: veluti Cicerone & Varrone, & alijs fortasse. Confessio & ipsa purum putum Latinum verbum est, vt etiam alij adnotarunt; ipsi etiam Quintiliano probè cognita. cetera vero apud Cuiacium videntur acutè magis, quam verè perpensa, cum non vni Paulo, sed etiam alijs sint vsurpata, quot quot ætas Iulij Pauli tulit: quæ quidem ætas Græciæ omnia Latio permiscuit. & immerito sanè vexatur Tribonianus,*

nus, quod pace magni viri dictum sit, tamquã verborum Pauli interpolator. Neq; solidiora sunt quæ a Bertrando afferuntur de Paulo Tyrio. tum quia neq; ille (quod sciatur) Gentem Iuliam vlla cognatione attigit, neq; ratio annorum videtur admodum pati, vt Iulio Paulo Pater esse potuerit: tum quia Patauium deuium est Tyrio homini, seu Roma in patriam abeat, siue e patria Romam proficiscatur. D. certè Paulus Cæsarea soluens appulit Sidonem. inde Cyprum, Lystram, Cretam, Melitam, Siracusas, Rhegium, Puteolos, & Romam; Actorũ Apost. capitibus XXVII. *&* XXIIX. *At neram diuinationem non oportuit tot machinis subuertere. Nos vaticinia, ex ipsius etiam Pauli sententia, valere iubebimus. namq; illa coniectura, quæ assimilabat prima fronte.*

---toruam & grandem cum viribus vmbram
Et faciem Aeneæ----
ipsa eadem
Nunc sublime volans nubi se immiscuit atræ.

Tu V. Cl. Eruditionem tuam intendas velim ego tibi I. Consulto cum de Iure, & Iuris Auctore agatur, acquiescere decreui. Vale. Patauij. MDC XXVII.

L. P. COMITI SPERON DE COMITIBVS CANONICO PATAVINO ET ABBATI VIRO NOBILISSIMO REVERENDISSIMOQ.

Epist. XLII.

Pictura, qua tu vir nobilissime apprim delectaris, adeo magno in honore apu veteres homines fuit, vt cum ceteros ferm omnes artifices fabros nuncuparent, solun Pictorem huic nuncupationi eximerent, v inquit Leo Baptista Albertus Lib. 11. de P ctura. Qui etiam addit omnium artium fl rem illam esse. nec sanè immerito mea sen tentia, quippè quæ venustatem colorum, & lucis ignem vna exprimat, affectus omnes re præsentet, defunctorum memoriæ consulat Coeli conuersiones, Terræ vices, Diei & Noctis partes, Artis acumina apicesq;, Diui nitatem ipsam (quantum licet assequi cogita tione) subijciat penicillo. Et hinc factum es vt Græci politissimi hominum cauerent Edi cto, ne Serui pingerent, quod nobilissimun artem seruili manu & ingenio pollui pertimu scerent. neq; defuerunt viri accurati & elo

quen-

uentes, qui Historiam Pictorum pertexerent, veluti Aristodemas Car, teste Philostrato in Iconibus; & Polemon apud Athenæum Lib. XI. qui etiã Cõmentariũ edidit de Tabulis quæ Sicyone fuerunt, memoratum eidem Athenæo Lib. XIII. maximè enim *(inquit Strabo. Lib.* VIII. *Geographiæ)* Corinthi ac Sicyone pingendi ac fingendi alijq; id genus artes ductæ sunt. *Et huius quidem Polemonis citatur etiam Liber, de varia in Sicyone porticu, Athenæo Lib.* XIII. *Et videtur idem esse cum eo, quem sæpè nominat Clemens Alexandrinus in Protreptico, & Diogenes Laertius in Aristippo. de Pictura egisse inuenio Duridem nescioquem, & Theophanem eidem Laertio commemoratos. & de Picturis Antigonum & Xenocratem celebres Plinij testimonio, Lib.* XXXV. *Cap.* X. *Neq; vero Tabulas tantum & Telas nobilitauit olim Pictura, ductu penicilli, sed & Aulæa operè textili. Noti sunt carmine Virgiliano Britanni intexti, tollentes aulæa purpurea. neq; soluit Macrobius Lib.* V. *Saturn. Cap.* XVII. *fabula Didonis vsos etiam illos,* qui figmentis liciorum contextas imitantur effigies. *Et quia cognatæ res sunt stylus & penicillus*

reper-

reperti sunt, viri eruditi, qui experirentu
an calamo valerent exprimere, quod præs
terant penicillo Pictores. Philostrati, seni
& iunior, Eustathius, Lucianus, Achill
Statius & alij. Tabulas vero vti res sacr
in Templis dedicari moris fuit: veluti Pl
nius passim testatur, & fidem facit Cebet
Pinax, (quam vocamus,) a nostris nobis oli
Præceptoribus tradita & comonstrata: vt pr
termittamus Pausaniam & alios. neq; no
curarunt Veteres, vt Vestibula etiam Ten
plorum Pictura illustrarentur, & Templ
ipsa. & Poetæ ipsi satis exemplorum sup
peditabunt. Pinaco-thecas, quas nos Galleri
vocamus, ipsi etiam instructissimas habu
runt. Philostratus, in principio Iconum d
scribit porticum suburbij cuiusdam Neapol
tani ad Mare vergentis; ad Fauonium exa
dificatam, quatuor vel quinque contignation
bus Tyrrhenum respicientem mare. in qu
appensae erant Tabellæ collectæ non sine ma
ximo labore; quod & tu vir Reuerendissime
& omnium huiusmodi elegantiarum amanti
sime quotidie experiris. Verum Pinacothe
cas non ad Fauonium, sed ad Septentrionem
locat Vitruuius, cum certis, & paribus lumin

bus

us indigeant; quod ea coeli regio neq; exlaratur, neq; obscuratur Solis cursu, sed ſt certa, & immutabilis die perpetuo. *ib.* I. *Cap.* II. *quod etiam repetit Lib.* VI. *C.* VII. ti colores propter conſtantiam luminis mmutata permaneant qualitate. *Supereo a citandis Varronis, Plinij, Petronijq; erbis. qui ſanè pauculis verſibus Græcorum deſcribendarum Tabularum conatibus palam eripuit. An autem Pinaco-thèca & Tabulinum idem aliquando fuerint, vt uidetur pinari eruditiſsimus Grapaldus, uiderint doctiores. Et quamuis Vetuſtas prædicet clarũ artificum illuſtria nomina, queis Tabulum apud illos Repoſitoria in magna commendatione erant, habet tamen Vrbs noſtra & publice & priuatim non pauca, quibus apud ocus eruditos inclareſcat. publice Mantineæ notratis, Bellinorum fratrum, Campagnolæ & itiani æmulas manus, Stephani ab Aggere elaoratiſsima monumenta. adhæc Iocti Florenini, quem Pictura rediuiua Patrem appellat, pera & quidem multa, neq; ſanè ignobilia. Huius, Auctor Chronici ſeptem ætatum, qui uit Henrico* VII. *Cæſari æqualis, ſcribit exare apud nos Picturas in Templo Arenæ.*

&

& Val. Polydorus Aediculã in Tẽplo D. Antonÿ, quã uocant D. Felicis PP., & Martyris: regione Sacelli nobiliſsimi Antoniani. & Iocũ quidem pernobile Encomium legitur, in Teſtamentarÿs Tabulis Cl. Viri, quem ſui ſæculi & ueſtri Canonicorum Collegÿ Phoenicem non uerear nominare, Franciſci Petrarcæ. ibi enim hæc inter cetera. & prædicto igitur magnifico Domino meo Paduano, qui ipſe per Dei gratiam non eget, & ego nihil habeo dignum ſe, dimitto Tabulã meam ſiue Iconam beatę Virginis Mariae, operis Iocti pictoris egregij, quæ mihi ab amico meo Michaele Vannis de Florentia miſſa eſt, cuius pulcritudinem ignorantes non intelligunt, magiſtri autem artis ſtupent *&c. Priuatim oſtentare poſſumus aduenis Pinaco-thecam tuam, quam tu, quæ tua eſt benignitas, non magis in tuum iſtud a curis moleſtioribus auocamentum, quam in ſplendoris urbani decus, & illicium ut ita dicam elegantium peregrinorum, nullis impenſis parcens comparaſti. miramur iſthic copiæ certamen cum precio, & ſuſpicimus manuum eruditionem cum Naturæ artificio paria facientẽ. Mactẽ iſtis animi remiſsionibus Vir Reuerendiſſime*

sime, in ista fortuna, in ista ætate, in istis laudatissimorum hominum maiorum tuorum præclaris imaginibus, quas Patrũ nostrorũ ætas ab Auo materno tuo Sperone Speronio sapiẽtissimo & eloquẽtissimo uiro illustratas perspexit, & nostra a fratre tuo Schinella ornatas, qui nuper Fatis concedens, patriæ, cuius ille Comitia infracto animo uindicauerat in Libertatem; affinibus & amicis quos humanitate & auctoritate deuinciera:bonis Artibus, quas percoluerat, triste sui, & nunquam leniendum desiderium reliquit. illos manet Gloria non interitura. Te uir Reuerendissime tua Laus in qua desino, omnia tibi fausta apprecãs a bono Deo. Vale, & Pignorium eximium tui cultorem aliquo loco apud te esse patere. Domi.

L. P. FLAVIO QVAERENGO ETHICES IN PATRIO GYMNASIO PROF. CAN. PAT. VIRO REVERENDISS.

Epist. XLIII.

MArtialis tuus Vir Reuerendissime mihi nunc cum bona tua venia præibit, vt te in hoc Epistolæ vestibulo alloquar.

quod

quod enim ille cæcinit

O quantum est subitis casibus Ingenium!

ego leuiter immutabo

O quantum est magnis casibus Ingenium!

Quis enim neget magnum casum, quem tibi hic dies, & hæc hora vno & eodem momento attulit? cum ab eodem Tabellario acceperis summorum virorum Imagines Laurenti Medicis, & Dominici Molini. *ego sanè nunc primum Thrasyllus, aut Asicletarion, vel Petosyris fieri cupio, vt momenti Geneſin ad Coeli positum exigam, & videam quo bono & felici astro duo Phoenices Italiæ noſtræ obtulerint ſe ſe oculis tuis, Muſæum tuum illustraturi. Et quidem non irritus mihi erit vaticinij sui Bronzerius noſter, qui neſcio quas Ephemeridas conſulens pronunciauit, Mercurio & Philologiæ hanc conſpirationem fuiſſe cordi. vt videlicet hora combinaret quos ſæcula diſparauerant, ſimiles profectò & geminos patrocinio Artium bonarum, Eloquentiæ Regno, & Patriæ tutela. ille Laurentium ab Athenæo laudatum ſibi fortè imitandum proponens, doctos viros accerſiuit, doctrinarum peritia inclaruit, bonos fouit, Patriam beauit eo ſæculo, quo, Græciæ fatum*

m Italiam ditauit. At hic noſter ſe vnum
tuens, infelici hoc æuo, quo nullus propè lo-
s eſt honeſtis artibus, quo ſtudia exulant,
o regina Pecunia dominatur, quo ſordes
agnatum animos occuparunt, quo beneficen-
extremum ſpiritum trahit; hic inquam
ſter ad illud ſe faſtigium euexit; vt præſen-
ius deſperationem ſit incuſſurus, poſteris
licturus inuidiam. cuius enim beneuolen-
erga probos omnes & doctos viros (quotquot
l aſpicit & Solum ſuſtinet) PATRIO
ON CLAVDITVR AGRO, ſed latè con-
icua peruagatur; quid mirum ſi Gloriam
ſdem nulla vnquam ſit ætas ſilentio inuo-
ura? Daniel Heinſius corculum illud Sa-
entiæ & Muſarum, poetico ſtylo, at non poe-
a ſed hiſtorica fide, in magni viri effigiem
nebat

æc vmbra mentis, cuius inclytum nomen
erfregit Alpes: non vt Annibal dirus,
umpens aceto quidquid obſtitit, ferro:
d Comitatis laude, amore Muſarum,
omnium, quos Muſa conſecrat Coelo,
ntenoris gens, clara ciuibus tantis,
antiſq; alumnis; ſiquid hactenus pulcrum
ua ex origine, aut propagine eductum

Mira-

Miratur orbis, arbitror, tibi totum
Debetur vni, confitentibus cunctis.
MOLINVS Orbi natus, omnium est unus,
Vnius omnes quotquot orbe sunt toto
Musis amici, vel scientijs culti.

Et in hac laudatione, quam Phoebus Apollo Vati suo dictauit Epistolam claudo. tu vale V. Reuerendiss. & cogita, num hac vna Imagine de ista tua Bibliotheca Lararium feceris Domi Non. Iun. MDCXXIIX.

L. P. BALTHASSARI BONIFACIO

ARCHI-DIACONO TARVISINO

VIRO REVERENDISSIMO.

Epist. XLIV.

QVod tu me alterum Patauinorum Liuium nuper appellaueris amori in me tuo est quod imputem vir Doctissime & Reuerendissime. ego sanè metior me meo modulo ac pede, neq; patior me abripi ab æstu laudationum illarum, quas amici pleno modo admetiuntur plerumq;. Illa tamen, quæ li-

bera-

berali stylo, & officiosa ingenuaq; Censura de Liuio nostro prodidisti, cum lac Musarum, mare tranquillum, animam eloquentiæ. *nuncupas, digna sunt profecto quæ nos Patauini plausu excipiamus, & honore ingenti prosequamur. cum enim Antiquitas fere omnis nostratem Historicum suspexerit, turbulenti homines inceperunt inuidere illi hanc gloriam malo exemplo, illumq; de fastigio quod non ita nuper insederat, deturbare sunt conati. hos inter excelluit Paulus Benius homo Italus, & (quod nemo non miretur) in Gymnasio nostro eloquentiæ Interpres, qui Patauij Patauinum aggressus est conuicijs proscindere, silentibus omnino Ciuibus nostris, & strenuè condonantibus actionem Iniuriarum, quam illi intendere debuerant. Benio ego suas voces (vt cum Petronio dicam) reddere decreui, citra Liuorem tamen & Odium, quorum causas procul habeo, vnius tantum veri studio, quo nitetur tota ratio disputationis meæ.*

Hanc tu vt videas primus comprobesq;, si videbitur tanti esse, & peto & opto: illorum Plauti memor

Decipitur nemo mea quidem sententia,
Qui suis amicis narrat recte res suas

At HOC AGAMVS. Verum antequam congrediamur, videamus quæso quid Beniuum potuerit impellere, vt Liuio obtrectaret. Aloysius Corradinus I. Consultus inter præcipuas Vrbis nostræ ornamenta (dum vixit) connumeratus, obstruauerat in Liuio Lib. IX. male habitos Vmbros, & conscissos Liuij magi stylo, quam Romanorum armis. Anno ab V. C. CDXLV narrat illos defeciſſe repente concitata omni iuuentute ſuas & magna parte Etruſcorum ad rebellionem compulſa, tantum exercitum feciſſe, vt ad oppugnandam Romam ituros, magnificè de ſe, ac de Romanis contemptim loquentes, iactarent. verum non reſpondiſſe verbis facta. cum enim castra vallantem Conſulem adorti eſſent, Romanos non tamquam in viros aut armatos incurriſſe: ſigna erepta, ſigniferos tractos ad Conſulem, armatoſq; milites ex acie in aciem translatos. & cetera ſatis turpia. At Beniuus Iguuinus fuit, & Iguuium in Vmbria. & huc trahebat Corradinus diſsidium Benianum, quod profecto non nemo probabit. Veritas enim Mater Odÿ eſt. quæ Veritas Annium, Glareanum, Merulam & Bodinum parum æquos Liuio fecit. Et vt vt hæc ſint ſcire oportet

tet, Benio neq; Dantem, neq; Boccaccium placuisse: nullius precij homines dictitanti, quos tam illi qui conuixerunt, quam qui vita functos exceperunt ætate, magnis & veris laudibus sunt prosecuti, hunc Eloquentiæ causa, illum Doctrinæ. At cominus est pugnandum. Et quia Benius aciem in duo cornua diduxit rerum styliq;, excipiemus & nos copias hostiles agmine bipartito. & primum videbimus de Dionysij Halicarnassensis industria, quæ cum Liuiana comparatur. Dionysius grauis sanè auctor, & cui non minimum debet Historia Romana, aduocat passim illos Auctores, quos maiestas Liuiana dedignabatur. Sophoclem exempli gratia, Aeschylum, Homerum, Agathyllum, & Græcos aliquot, dignos vtiq; censoria illa Liuij nota.

Quæ ante conditam condendamue vrbē, poeticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur, ea nec affirmare, nec refellere in animo est. *& ipse Dionysius alicubi confitetur, nullam de Romanis ad sua vsque tempora Historiam a Græcis accuratè scriptā extitisse: & Romanos ipsos prisci æui res, compendio narrasse. vt mirum non sit Liuium*

noluisse fabellis tempus terere, qui & renui exordiri more Poetarum. cum bonis potiu ominibus, votisq; ac precationibus deor dearumq; si vt poetis nobis quoq; mos e set, libentius inciperemus, vt orsis tan operis successus prosperos darent. *neq; ve ro incusauerim ego Dionysium, cuius consi lium fuit, populares suos Græcarum narra tiuncularum lecythis allicere, vt Historian Barbarorum (ita illi Romanos nuncupabant aliquo loco esse paterentur. Et hac de caus instituit ipse narrationes, quibus multa com plexus est insignia sanè, & quæ res Romana nostro cum fructu illustrarunt. veluti rationen sacrorum, ritum Ludorum, seriem Trium phorum, Magistratuum insignia, & huius modi plurima, quæ Liuius imbutus opinion Imperij numquam finiendi, & Vrbis æterni futuræ, tamquam obuia, & nota prætermisi consultò, & suis tantum scribens Quotus enim quisq; est, qui nunc Historiæ nouitiæ auctor demittat se se ad ea calamo exprimenda, qua oculis vsurpamus? Turca sanè aliquis, au Persa si res nostras hominibus suis tradere scripto vellet, is profecto & mores, & ritus, & artes, Arma quoq; & Aedeficia prolixè,*

& ambitiosè explicaret. quod & nostri exe-
uuntur, si qnando res illorum attingere neces-
e habent Prodigiorum explicationem, quan-
lo hac etiam ex parte nititur Benius Liuio
nuidiam conflare, debuit meminisse ipse Hi-
toriæ professor, fuisse magnam partem Ro-
nane religionis; quod vel pueris ipsis qui
cholas Magistrorum terunt compertum est.
eq; profecto Portenta Romanam Historiam
on iuuant, vt fateatur necesse est, qui Iulij
bsequentis Libellum de Prodigijs aliqua cum
ura peruolutarit. Quid? quod neq; Diony-
ius hisce abstinuit sed notauit accuratè? neq;
lij omnino Græcorum, qui res Romanas atti-
erunt? Quod vero conciones Liuianas car-
it non iure facit, vt tu etiam animaduertisti.
unt enim illæ consiliorum atq; euentuum fon-
es, qui Politicum hominem non modo pro-
uunt ad voluptatem, sed & ad profectum di-
ant saluberrimis monitis & exemplis. neq;
ero Liuius Actuarium agebat, vt proinde
porteret recitare illum verbatim quid quis
ixisset; sed Historicum, quorum nemo his at-
endit, quæ Benius nimis anxiè commentus
st, de horridiore dicendi genere veterum La-
inorum, & de sermone Locrensium, & Car-

thaginiensium. vt valde mihi mirum sit non exegisse ipsum a Liuio, vt Punice referret, Plautino more, quæ Legati Poenorum in Senatu disseruissent, vel quæ Locri, seu quæ Illyrij, patria ipsorum lingua. Quod profecto festiuum accroama fuisset, illi non dissimile, cuius cum multo risu Luciani, auctor fuit Creperius Calpurnianus Pompeio-politis qui Historiæ suæ græce scriptæ intexuerat Italicas voces FOSSAE & PONTIS, similiumque. At quod etiam fidem Liuij crimine tur, hoc vero est odium prodere quo laborabat. Cremutius enim Cordus apud Tacitum Libro IV. Annalium, Liuium fidei præclarum in primis appellat. quod Encomium aliorsum inepte trahit Benius, & contra ipsam Cremutij mentem. veritati enim studuit Liuius quā quimaximè, ut recte animaduertit Historiæ Phosphorus & Sol, Gerardus Ioannes Vossius noster. De inaudito ac monstroso Gigante quod comminiscitur Benius, ipsi aurem peruellere debuit, vt videret cum quo ipse congrederetur, & meminisset verborū Vitruuianorum, veluti parricidij damnandos, qui illos vexarent, quorum ab cunctis gentibus scripta suspicerentur. At Veritatem Benio potuit, indicare

series

series ipsa rerum a Romanis gestarum. Populus enim Romanus qui propè quingentis annis domi luctatus *erat, in Italia subigendâ;* ducentis annis Africam, Europam, Asiam, totum deniq; orbem terrarum bellis, victorijsq; peragrauit, *vti tradidit Florus ipso initio Libri secundi Historiarum suarum. neq; verum est omnino voluisse Liuium scribere Historiam ab Ilij excidio, & aduentu Aeneæ, sed tangere cursim, & delibare* tantisper *vt ipse etiam innuit in Præfatione operis sui. & vero illa præfatio Libri* II. Liberi iam hinc populi Romani res pace belloq; gestas, annuos magistratus, imperiaq; Legum potentiora quam hominum, peragam; *ostendit festinasse ipsum, vt ad hæc peruenire Regibus leuiter perstrictis, & quæ ante ipsos Reges. Et debuit Benius, qui nos ad iugera compellit, perpendere, non perinde esse Historiam scribere, atq; agros decempeda metiri. rerum enim gestarum dispositio & copia scriptorem plerumque eò adigit, vt Voluminibus amplioribus spatia occupet illius corporis, quod breuius, & æquius animo complexus erat. Liuius ipse in limine Libri* XXXI. *ita conqueritur*, Me quoq; iu-

uat, velut ipse in parte laboris, ac periculi fuerim, ad finem belli Punici peruenisse. nam & si profiteri ausum perscripturum res omnes Romanas, in partibus singulis tanti operis fatigari minimè conuenit: tamen cum in mentem venit V. & LX. annos (tot enim sunt a primo Punico ad secundum bellum finitum) æque multa volumina occupasse mihi, quam occuparint quadringenti LXXXVI. anni a condita Vrbe ad Appium Claudium Consulem, qui primus bellum Carthaginiensibus intulit, iam prouideo animo, velut qui proximis littori vadis inducti mare pedibus ingrediuntur, quid quid progredior, in vastiorem me altitudinem, ac velut profundum inuehi, & crescere penè opus, quod prima quæque perficiendo minui videbatur. *Monstrosus ergo Gigas non Liuij sed Benij foetus erit, qui vt Liuio conuicietur verane obijciat an secus nihil pensi habet. Neque partitiones Decadum ab ipso Liuio sunt, quod professorem Humanitatis ignorare non decebat. antiqui enim Grammatici non Decades, sed Libros agnoscunt. At non sufficiebant tot contorta in Liuium tela, nisi etiam*

tan-

nquam in Patriam ingratus traduceretur.
c nãqs molitus est Benius in Commentario
ib. 1. Aeneid. cum enim Virgilius Antenorem conditorem Patauij asserat, cur inuidit
atriæ suæ hanc gloriam Liuius? cur duobus
erbis, quibus rem totam contestari poterat
percit? Ego sanè non patriæ odio, sed ex
mmuni hominum sensu hoc feciſſe Liuium
bitror. tum quia Patauinum se nominare iactantia non caruisset, velut etiam Lucianus
istoricum quempiam arguit, qui patriam Mitum laudauit, & hoc quidem in Proemio Hiriæ suæ, quod vtique noluit facere Liuius,
t videmus. tum quia qui Vrbem incolebant
aiestati Romanæ hoc deferebant, vt aliam
atriam non profiterentur. huiusce rei non sas animaduerse multa tamen extant vestigia.
uuenalis municipalem Arenam cum stomacho
ecensuit alicubi. alibi nominat pannosos Aeiles vacuarum Vlubrarum. quo pertinent
omines rusticari ex Municipijs, & Mucipia rusticana *apud Ciceronem non semel*
uius & illa huc vergunt, Lib. 11. ad Familia.
ipi. XII. vrbẽ mi Rufe cole, & in ista luce vi
e. omnis enim peregrinatio, quod ego ab
doleſcentia iudicaui, obscura & sordida

est

est ijs, quorum industria Romę potest il
lustris esse. *ad quem sensum cæcinit etiam Martialis.*

Plus sanè placeat domina qui natus in vrbe est
Debet enim Gallum vincere verna Liber.

Neq; sanè voluit Liuius aut Gallus, aut Ven tus audire, qui Romam alteram Patriam iur ciuitatis nactus erat: Augusti præsertim fa miliaris, & Equitis Romani Socer. Qui hu minũ sensus Romæ degẽtiũ adeo inualuit tant post Liuium, vt Cassiodorus Variar. Lib. II XXI. *non dubitauerit pronunciare*, Piacu genus est, absentem sibi Romam diutiu facere, qui in ea possunt constitutis Lari bus habitare. *Et inde factum videtur, v omnes passim, qui in Orbe Romano erant Ro mani appellarentur, nullo discrimine locorum in quibus nati essent. Qui tamen Patriæ De mus appellationem reliquerant, vt in antiqu marmoribus legitur DOMO ATESTE, DO MO ALTIN. DOMO ARRETIO; Pa triæ vix dignati.* Roma *enim* communi Patria nostra est, *inquit Modestinus. L* XXXIII. *ff. ad Municipalem, & de Incol. neq aliter Rutilius Numatianus*

Fecisti patriam diuersis gentibus vnam.
Profuit inuictis te dominante capi.

Et

Et hæc est ratio cur apud Cornelium Nepotem, Sallustium, Liuium, Plinium nulla Patriæ mentio extet. cum ille Circum-Padanus, Ami-terninus ille; alter Patauinus, Veronensis al-ter, siue Nouo-Comensis esset. Et hæc quo ad primum aciei cornu. Quod an profligaueri-pus videbis tu Amice, qui copias Historicas rum Imperio moderaris, qui nos amas & no-ra, qui Liuium Romanæ Historiæ longè prin-cipem nuper asseruisti. Alterum Cornu Be-tianum Liuij stylum appetebat, in quo Pata-initatem deprehendere sibi visus est Asinius Pollio, ille studio magis partium, quam Li-uij æmulatione Patauinis infensus. nota autem unt quæ Velleius & Macrobius de nostris, & Asinio Pollione litteris consignarunt. hanc Patauinitatem Benius, alibi, vt sibi quidem vi-detur oculeus totus, hic sanè totus, totus tene-rio, ad partium Pompeianarum amorem re-ocat, contra Pollionis & Fabij Quinctiliani nentem. eam, siqua fuit, ego fortè primus uod & tu probas, in Originibus nostris indi-aui, ex Quintiliano & Marmoribus verna-ulis, Hanc tamen M. Fabius acris censor vix dmittit, neq; dubitat pronunciare de Liuio, irum fuisse miræ facundiæ; & alibi in nar-

ran-

rando miræ iucunditatis, clariſsimiq; candoris, in concionibus ſupra quam enarrari poteſt eloquentem; quo nemo dulciores affectu commendarit magis. Neq; profecto inconcinnè faceret qui primum omnia Elogia Liuiani ſeorſum hinc diſponeret, & illhinc eiuſdem obtrectatores; deinde vſurparet voces M. Aemilij Scauri in cauſa non plane diſsimili, Varius Sucronenſis Aemilium Scaurum regia mercede corruptum, Imperium Populi Romani prodidiſſe ait, Aemilius Scaurus huic ſe affinem eſſe culpæ negat. vt creditis? *Verum ne cauſam prodere videamur quod in rebus præſtitimus, hoc idem exſequi conemur in verbis, multo minore diſcrimine. horridum initium appellat Benius*

Facturus ne operæ præcium ſim ſi
& cōſtare ait duobus ferme Hexametris integris. atqui nemo vnquam leget ſim ſi, *ſea* ſim; *& ex interuallo* ſi. *veluti illa Salluſtij nemo vno ſpiritu*

Bellum ſcripturus ſum quod
Et vero ego non video (quod ad Hexametrum attinet) cur non licuerit Patauino Liuio, quod licuit Amiternino Salluſtio. Quintilianus certe omnia Italica pro Romanis habet, Li.

1. *Cap.*

1. *Cap.* v. *Benius non item. qui etiam crimi-*
natur Liuianam phrasin, facere opere pre-
cium, *quod neq; Ciceroniana sit, neq; Teren-*
tiana. at num ideo minus Latina? affirmet
cui cornea fibra est. ego vtiq; non affirma-
bo qui sciam, linguam latinam debere uni Li-
uio magnam copiam genuinæ Elocutionis quam
apud Ciceronem & Terentium frustra quæ-
rimus. vt iure vocauerit nouitius Liuij editor,
omnis latinitatis refertissimum. Iam vero,
quod Liuij etiam structuram emendare gestiat,
id nullo modo ferendum videtur. quod tamen
condonare possumus homini, qui etiam Ioan-
ni Boccacio Soloecismos obiectare solitus erat,
vt eius orationem perpoliret. Pergit porro
ro Mantissa Liuium appellare obscurum,
runcum, obtrectatorem, & cuius scripta Vi-
i docti excutiant, vt tantum si quo modo
ossint, inuidiam vel extinguant vel le-
iant. *Adestote mihi vos Beate Rhenane, &*
arole Sigoni, tu Robortelle, tu Lipsi, tu Grute-
e & quotquot deniq; Liuium illustrastis. num
os hoc prætextu manum admouistis candidis-
mo, & politissimo Scriptori? minimè gen-
um, sed vt Historiam Romanam illustra-

retis

retis lumine non aſcito, vt librariarum Harpyarum proluuiem elueretis, quæ pontificium Auctorem foedauerant. Quod verò Patauinitas iterum obijciatur, percommodè accidit, vt fateatur, Pollionem per inuidentiam vt obſcurè ſic temerè loqui potuiſſe. quod ſanè a verbis Quinctiliani non abit Lib. VIII. Cap. 1. & in T. Liuio miræ facundię viro PVTAT ineſſe Pollio Aſinius quamdam Patauinitatem. Progreditur porro Liuio-maſtyx, vt ingenium non deponat, & noſtrum accuſet velut turgidum, & poeticum in Annibale Alpes perfringere meditante. ego ſane ignoſco homini, qui nunquam viderat fortè Alpes, qui numquam animaduerterat quid Hiſtorici de Alpibus tradant, & potuit profectò vnus Paulus Iouius Lib. XV. Hiſtoriar. hominem docere his verbis; tametſi rerum naturæ opifex altiore conſilio denſiſſimos ſaltus prealtos exeſoſq; vertices, & abruptas vallium crepidines, in niuoſa illa atq; horribili rupium mole poſuerit, queis mortales ab acceſſu terrerentur. & eodem Libro Galli ducente Triultio, Alpes trajicientes potuerunt fidem facere Benio, Liuium vera tradere, neq; poeticum quid meditari. Polybium certè

erte narrat, nuncios Annibali retuliſſe, Al-
ium iuga magno illa quidem labore, & mul-
is cum difficultatibus ſuperatum iri. & hæc
Hiſtoriarum Libro III. *Splendorem ucro Ora-*
ionis quem alij ſuſpiciunt, pergit Benius im-
etere, telis etiam petitis ex ipſo Quinctiliano
ib. X. *Cap.* 1. *qui tamen uſq; adeo Liuium*
on uoluit impugnare, ut ibidem LACTEAE
IVII VBERTATIS uoluerit meminiſſe.
elut etiã alias illud Facturuſne operæ pre-
um ſim, *excuſandum ſibi ſumpſit exemplo*
ruti, Aſinij Pollionis, Salluſtij, Ciceronis,
latonis & aliorum.

t nunc tempus Equum fumantia ſoluere colla,
finem aliquando imponamus Epiſtolæ, quæ
m magnitudine (ut dicam more Liuiano) la-
rat ſua. Tu amice, qui non ideo minus co-
Principem Hiſtoricorum, quod in eum in-
rſauerit Benius, hæc mea tibi habe, com-
endatiora utique futura ſub patrocinio no-
inis tui. Ego ſanè hanc qualemcunque opel-
m nauaui lubens Viro illi, qui auctoritate
a, & omnium ætatum iudicio tutus, defen-
ne non eget. Quod profectò ab homine men-
bene ſanè & eruditionis nō uulgaris, Fran-
ſco Florido Sabino pronunciatum, iugulare po-

tuit

tuit iſtos omnes, qui bonos Auctores adeo ge
ſtiunt impetere maledictis, vt etiam Virtu
tes pro Vitijs pergant obiectare. Quotus
quiſq; hodie viuit *(inquit ille)* qui non ſit
cenſuram in ſcriptores, quaſi a dijs im
mortalibus demandatam, arbitretur? V
enim de aliquibus toleretur Iudicium
quiſnam hoc tempore de Cicerone, Liuio
Salluſtio, Terentio Varrone, Corneli
Celſo, Plauto, Terentio, Virgilio, Horatio
Lucretio, Ouidio, Catullo, Tibullo, Pro
pertio, ceteriſq; ſimilibus aliquid in ſini
ſtram partem, ſine magno ſcelere decer
nere audeat? Quorum ſcripta orbi pro
batiſsima ſemper fuere, & a nullo adhu
ſatis digne laudata? *Hæc ille. neq; ego plu*
ra. tu uale & ſeculum noſtrum lucubration
bus tuis illuſtra vt facis. Patauij.
MDCXXVII.

L. P.

P. SIGISMVNDO BOLDONIO

IN ACADEMIA TICINENSI PHILOSOPHIAE INTERPRETI ACCVRATISSIMO.

Epist. XLV.

Abs te, qui isthic magna cum tui nominis prædicatione publicè doces, cupio doceri ego Vir doctissime, & amicissime. neq; tu (at scio) hoc muneris detrectabis: Eruditio im ab humanitate non exulat. Lectum mi- est apud Cornelium Nepotem, quem vulgo pellant Aemilium Probum; ibi eum amici lgesilaum) quo Spartam facilius perferre ssent, quod Mel non habebant, cera rcunfuderunt, atq; ita domum retule- nt. *Quæ eadem repetit Gemistus Plethon, b. primo de Gestis Græcorum post pugnam Mantineam. Quæ ceræ circumfusio ad Per- olim etiam attinuit, quemadmodum nota- eruditissimus Petr. Victorius, Variarum b.x.Cap.* VI. *At hic Mellis usus notus etiam t Lucretio Lib.* III. *cuius hi sunt elegantissi- versus*

m si in morte malũ est, malis morsuq; ferarũ actari: non inuenio qui non sit accerbum

Ignibus impositum calidis torrescere flammis
Aut in Melle situm suffocari, atq; rigere
Frigore; cum in summo gelidi cubat æquore sa
Vrgeriue supernæ obtritum pondere terræ.
vbi Dionysius Lambinus notat ex Lib. v. *H*
storiar. Xenophontis, Agesipolin Regem v
functum Melle oblitum, domum deportatu
fuisse. quam funeris condituram Lacedæm
nijs familiarem fuisse hæc Auctorum testim
nia euincunt; Cornelij videlicet Nepotis, X
nophontisque. Verum hoc institutum mana
se a Democrito Abderite testis est Varro ap
Nonium Marcellum, in Vulgus. quare H
raclides Ponticus plus sapit, qui præcep
vt comburerent, quam Democritus, qui
in Melle seruarent: quem si vulgus sec
tus esset, peream, si centum denarijs cal
cem Mulsi emere possimus. *Et hæc sanè on*
nia confirmat Plinius Lib. VII. *C.* III. *scribēs v*
disse se allatum ex Aegypto ad Claudium C
sarem Hippo-Centaurum in Melle. necn
& Columella Lib. XII. *Cap.* XLV. *qui scrib*
exanimum corpus hominis per annos plurim
in Melle seruari. Verum quid, quæso te, h
bet Mel, vt hoc possit efficere? An quia a
reum est, vt inquit princeps Poetarum Virg

Pro-

?rotinus aerij Mellis coeleſtia dona.
deoq; Coeli ſudor, ſiderum ſaliua, pur-
gantis ſe aeris ſuccus *appellatur à Petro Bel-*
*onio Lib.*1. *de arboribus coniferis, p.* 10. *qui*
nec a Plinio Lib. XI. *Cap.* XII. *mutua ſumſit?*
An vero quia Ceram matrem agnoſcit, vti ſcri-
it Athenæus Lib. XIV.*?Cera autem cadaucra*
ſeruabat, vt vidimus. An autem quod ea
Mellis eſt natura, *(vt inquit Columella loco*
itato) ut coerceat vitia nec ſerpere ea pa-
iatur) *An poſtremo, quod Mel ſit aridæ fa-*
ultatis, tradente ſic Macrobio Lib. VII. *Sa-*
*urn.Cap.*XII?nã quæ vdanda ſunt corporis
inquit Diſarius) vino fouentur; quæ fic-
anda ſunt melle detergentur. *Qui Diſarius*
ſi per te nunc mihi critico eſſe licet) reponen-
us eſt apud Symmachum Lib. III. *Epiſt.* XXX
II. *in principio vbi legitur*, Diſanus clariſ-
mus vir, qui inter profeſſores medendi
ummatem iure obtinet locum. *&c. lego*
nim Diſarius. *Tu modo, quem Natura ni-*
il arcanorum ſuorum coelauit, mellito iſto
uo Epiſtolico charactere, ſententiam tuam de
ac vi Mellis reſcribe, vbi commodum erit.
nterim, velim a te fieri certior (quando
on ſatis eſt ſemel frontem perfricuiſſe) num

vester Ticinus) etiam nunc aureas arenas ferat, & an legantur, & quo prouentu. vestras quidem Bernardus Saccus affirmat, & Notitia vrbium apud me manuscr. anonymi Auctoris, cuius hæc sunt, Ticinus autem fluuius dictus est quasi Taginus, vt quidam volunt a Tago fluuio aurifluo. cuius & hic naturam imitatur, solum habens, in quo plus ceteris Italiæ Aurum colligitur. *operosum sanè, & ridiculum Etymon, cuiusmodi multa afferuntur ab Italicarum rerum nescio quibus barbaris scriptoribus. Vale, & Clarissimum Campegium meo nomine saluta Patauij. MDCXXVII.*

L. P. FRANCISCO A SOLE

CANONICO PATAVINO

VIRO REVERENDISSIMO.

Epist. XLVI.

HVmanitas tua quam pulcrè incedit cum nomine tuo gentilitio Vir Reuerendissime! sicut enim Sol dux & princeps & moderator luminum reliquorum, mens Mun-

di

di & temperatio, *trahit ad se terræ halitus;*
ic tu humanitate omnium affectus. Ego sa-
nè me tibi obstrictum longa serie beneficiorum
nisi fatear, omnem prorsus humanitatem ex-
ero: adeo tu omnes beneficentiæ numeros,
ua ope, qua consilio, qua factis erga me obiui-
ti. Verum hæc alias: quando hic non est cam-
us in quo pro dignitate præconiorū tuorum spa
iari mea possit oratio: & si posset, tu id non
aterere,

---qui mitis, & acri
Speritate carens, positoq; per omnia fastu,
nter vt æquales vnus numeraris amicos:
Obsequiumq; doces & amorem quæris amando.

t Nunc e re nata facere non possum, quin
eritorum saltem tuorum limen te indulgen-
, cursim attingam. Antenoris Herois nostri
uod res fortiter & feliciter gestas penicillo
xprimi curaueris, in ornatum Aulæ tuæ; est
inè quod tibi priuatim & publicè Patauij de-
eamus. argumentum enim ante hac omnino
ntactum tu primus exposuisti oculis omnium,
aiorum nostrorum accuratam solertiam exa-
te imitatus, qui Historias coloribus exprimi,
e solis Scriptoribus cederet ea laus, voluere.
t quod illi Tẽplis & Porticibus sacrabant, tu

domi tuæ extare voluisti: vt præires exẽplo nobili Ciuibus tuis, qui non aliunde petitis argumentis opus habent, vt Pictoribus materiam præbeant, sed vernacula & natiua exempla ipsis etiam Romanis rerum dominis (abſit verbo inuidia) poſſunt ſuppeditare. At Periocha. Picturæ istius quas imperasti, ſingulis Monoſtichis concluſas, vt etiam antiqui factitarunt, nunc ad te mitto. tu ſi placebunt curabis apponi. ego ſanè ſtudui breuitati, & facti exhibitioni, æmulatus quoad licuit Iliadem nuci incluſam.

I

Troia ruit flammis, fatiſq; vrgetur iniquis.

II.

Nauigium inſtruitur, Superiq; in vota vocantur.

III.

Troianam Pallas tutatur ab æthere claſſem.

IIII.

Excipit hoſpitio feſſos Parnaſſia Phocis.

V.

Pugio Phoebe tibi veteres ſacratur ad aras.

VI.

Diſijcit ipſa rates toto Iuno effera ponto.

VII.

Traijcere alta nouẽ æquor ei datur ora Timaui.

VIII.

VIII.

Certatim Socij feriunt mare,& æquora verrunt.

IX.

Littus in Euganeũ Phrygũ manus emicat ardẽs.

X.

Ferratas acies Antenor ductat in hostes.

XI.

Decernunt bello duro sub Marte cadentes.

XII.

Hic odijs acti subeunt bella aspera Reges.

XIII.

Antenor Veleſi spolijs exultat opimis.

XIV.

Hic socijs vrbem victor designat aratro.

XV.

Vrbis feruet opus,fundataq; moenia surgunt.

XVI.

Moenia sublimi inuehitur Patauina triumpho.

Et hæc quidem omnia compendio dicta sunt, vt vides. verum non eodem compendio dicere possim merita in me tua vir Reuerendiſsime, quem opto valere diu, & perannare. Domi MDCXXVII.

L. P. HIERONYMO BOSSC

PRIMARIO ELOQVENTIAE IN GYMNA-

SIO TICINENSI PROFESSORI

ERVDITISSIMO.

Epist. XLVII.

QVando non licuit mihi V. Cl. videre Iano-Tatium tuum, quamuis efflagitante ampliſsimo viro, qui Litteris noſtris Genium inſpirat, Dominico Molino, *illum non ſemel exquiſiuerim, decreui ego ad te mittere Stipem chartaceam, quam vides, Muham-Medis ludos imitatus, qui ſerio ad Montes itabat, quando illi eiuſdem iuſſa exequi detrectabant. Et profecto non facile tibi dixerim quo deſiderio flagrauerim videndi Commentarium tuum, qui ſciam quam ſis inſtructus ingenuis artibus, quam accuratus, quam felix in dicendo, quam in docendo perſpicuus. verum mihi non licuit eſſe tam fortunato. At tu qui Apollinem audis & hunc Marsyam ne reſpue. Strenæ ab antiquiſsima origine fuerunt. Symmachus Lib.* x. *Epist.* xx. Calendas anni auſpices, quibus Menſium recurſus aperitur, impertiendis Strenis dicauit Antiquitas.

Idem

Idem Epist. XXVIII. *eiusdem Libri*; Ab exortu penè Vrbis Martiæ Strenarum vsus adoleuit, authoritate Tatij Regis: qui verbenas felicis arboris ex luco Strenię, anni noui auspices, primus accepit. *Dei Arbore felici ego vaticinium non profitebor. indicabo tantum loca Auctorum, e quibus possit indagari. Festi, Plinij Lib.* XVI. *Cap.* XXVI. *Macrobij Lib.* II. *Saturn. Cap.* XVI. *Et fortè eo alluſit Propertius Lib.* IV. *El.* IV.

Lucus erat felix ederoso conditus antro,
Multaq; natiuis obstrepit arbor aquis.
Siluani ramosa domus, quo dulcis ab æstu
Fistula poturas ire iubebat oues.
Nunc Tatius fontem vallo præcingit acerno,
Fidaq; suggesta castra coronat humo.

illud certum est hoc nomine fuisse apud Heluetios oppidū ex Ammiano, Antonino, & recentioribus. Strenuæ porro Deæ, vt reuertamur, meminit & D. Augustinus Li. IV *.de Ciuitate Dei Cap.* XI *&* XVI. *Strenam vero non a Strenua Streniaue Dea deducit Festus, sed aliunde.* Strenam vocamus (*inquit ille*) quæ datur die religioso, ominis boni gratia a numero, quo significatur alterum tertiumq; venturum similis commodi; veluti trenam,

præ-

præpoſita S Littera, vt in loco & lite ſolebant antiqui. *Dies dictus huic lucro, quem religioſum appellat Feſtus, fuit velut etiam nunc eſt, Calendarum Ianuariarum; vt diſertè ſcribit Tertullianus in Lib. de Idolatria*; nobis quibus Sabbata extranea ſunt, & Neomenia, & feriæ a Deo aliquando dilectæ, Saturnalia, & Ianuarię, & Brumæ, & Matronales frequentantur, munera cōmeant, ſtrenę conſonant, luſus, conuiuia conſtrepunt. *& has* Ianuarias *paulo ſuperius Calendas Ianuarias appellauit*; nimirum Saturnalia, & Calendas Ianuarias celebrans hominibus placebat. *prætereo Caſſiodorum Lib.* V. *form.* VII. *& Prudentium Lib.* I. *aduerſ. Symmachum, qui* Feſta Calendarum *vocat. Notandum autem eſt non ſolum ex mente Tertulliani, quæ liquido apparet ex Libro citato, verum etiam ex aliorum Patrum ſententia vetitas fuiſſe Chriſtianis maioribus noſtris Strenas. D. Hieronymus apud Gratianum Cap.* V. XXXVII. d. & quod in Corbonam pro peccato virgo vel vidua, vel totam ſubſtantiam ſuam effundēs quilibet pauper obtulerat, hoc in Kalendariam Strenam; & Saturnalitiam ſportulam;

lam; & Mineruale munus Grammaticus & Orator, aut in sumptus domesticos templi stipes, aut in sordida scorta conuertit, *Et hoc ideo quia boni Fati augurium habebatur* XXVI. *2. vlt. ad quem locum videndus Antonius Augustinus profanæ & Ecclesiasticæ Antiquitatis peritissimus, Libro posteriore de emendatione Gratiani, Dial.* I. *a quo discimus Kalendis Ianuarij, Romæ olim fuisse in vsu positum, vt Mensas ponerent, choreas ducerent, & cantiones sacrilegas acclamarēt. Verum vt vt Religio nostra hæc inhibuerit, obnitente tamen consuetudine Strenæ permanserunt ad nostra vsq; tempora, & Romæ præsertim, vbi infimi a summatibus accipiunt. antiquitus etiam Cæsares rerum domini accipiebant. Suetonius Augusto Cap.* LVII. Item Kalendis Ianuarijs Strenam in Capitolio etiã absenti. *Idem Caligula Cap.* XLII. edixit & Strenas ineunte anno se recepturum: stetitq; in vestibulo ædium Kal. Ianuarij ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus, ac sinu omnis generis turba fundebat. *priuati inuicem accipiebant, & mutuas missitabant. quocirca Strenarum commercium appellat Suetonius Tiberio Cap.* XXXIV. quotidiana

diana oscula prohibuit edicto ; item Strenarum commercium , ne vltra Kalendas Ianuarias exerceretur. consueuerat & quadruplam Strenam , & de manu reddere : sed offensus interpellari se toto mense ab ijs, qui potestatem sui die festo non habuissent, vltra non reddidit. *diem festum vocat Suetonius, quē diē religiosum Festus, & Festa Calendarum Symmachus. Munuscula autem, quæ vltro citroq; missitabantur fuerunt primitus Stipes. Ouidius in .1 Fastor.*

Tu tamen auspicium si sit stipis vtile quæris;
Curq; iuuent nostras æra vetusta manus.
Aera dabant olim---

Palmæ, Caricæ, Mella, Caryotæ. Ouidius.

Quid vult Palma sibi, rugosaq; Carica dixi,
Et data sub niueo condita mella cado ?

Martialis Lib. VIII. XXXIII.

Hoc linitur sputo Iani Caryota Calendis ,
Quam fert cum paruo sordidus asse cliens.

& Lib. XIII. XXVII.

Aurea porrigitur Iani Caryota Calendis.
Sed tamen hoc munus pauperis esse solet.

Stipi vero succesit Aurum. Ouidius loco citato

Aera dabāt olim; melius nunc omen in auro est;
Victaq; concessit prisca moneta nouæ.

Quod

Quod & tanto post Ouidium tempore obtinuit. Symmachus enim epistola XXVIII. *cuius meminimus, hæc habet:* merito vobis solemnes pateras cum quinis solidis, vt numinibus integritatis offerimus. *præter hæc Calendis Ianuarij, quod etiam hodie ab aliquibus fit, suas quilibet Artes auspicabatur. Ouidius.*

Quisq; suas artes ob idem delibat agendo,
Nec plus quam solitum testificatur opus.

Læta etiam verba dicebantur, & preces dabantur, accipiebanturq; alternæ. Ouidius,

At cur læta tuis dicuntur verba Calendis?
Et damus alternas, accipimusq; preces?

Et hinc dubio procul ad nos venerunt le bone Feste, *et* il bon capo d'anno, *vt Italicè vocamus. Plinius insinuauit Lib.* XXIIX. *Cap.* 11. cur enim primum anni incipientis diem ļetis precationibus inuicem faustum ominamur? *Romæ hodie, vt diximus, Strenæ Kal. Ianuarij strenue exercentur. & qui plura volet videre, consulat Ambrosium Nouidium sacrorum Fastorum Lib.* 1. *Num autem in strenis modus aliquis, quoad numerum Solidorum obseruaretur, animaduertant doctiores. ego sanè apud Symmachum animaduerti quinos illos solidos, & penes Trebellium*

Pollio-

Pollionem in Vita Claudij Augusti adsignatos illi fuisse, dum esset Tribunus, in Strenis quadraginta septem Philippeos, & trientes centum sexaginta. *At de Bruma quid dicemus? Ouidius videtur reijcere in Kalendas Ianuarias.*

Bruma noui prima est veterisq; nouissima Solis
Principium capiunt Phoebus, & annus idem.

alij vero statuunt circa Saturnalia, & rectius. Quod nos Strenam bonam manum vocemus in promptu est originatio. manu enim dabatur vt vidimus. At me ineptum, qui Poma Alcinoo vt aiunt. Te enim hæc accuratius, elegantiusq; pertractasse

Et reor: & si quid veri mens augurat, opto.

Tu vale, & saluta meo nomine clarissimos Viros Campegium, & Boldonium. Patauij. Kal. Ianuar. MDCXXIIX.

L. P.

L. P. HIERONYMO ALEANDRO FRANCISCO CARDINALI BARBERINO AB EPISTOLIS LATINIS, VIRO REVERENDISSIMO.

Epist. XLVIII.

APes Dianias vidi, quas ad me misisti Vir Reuerendissime. & non potuit non placere argumentum politis carminibus expressum; & notis eruditis illustratum. Verum ad eundem scopum quo minus collinearem mihi non potui temperare, quando & Aeses Virgilianus amissa palma,

--tamen æthereas telum contorsit in auras,
Ostentans artem pariter, arcumq; sonantem.

Athenæ namq; Atticæ, illæ frugum & humanitatis parentes, ex responsis Apollinis Delphici, tredecim Colonias vno tempore in Asiam deduxerunt, Duce Ione Xuthi, & Creusæ filio, vti Vitruuius Lib. IV. Cap. I. testatũ reliquit, cui adstipulatur & Velleius Paterculus Li. I. Hist. Classis autẽ duces fuerũt Musæ sub Apum specie, vt inquit Philostrates in Mele-

Melete . Coloniarum vero illarum primaria fuit Ephesus Vitruuio & Paterculo testibus celeberrima illa Christianorū primitiuo conuentu Actor. Apost. XX. *& Ioannis Euangelistæ mora, & morte ; maximum illud Asiæ emporium, vt ait Lib.* XIV. *Strabo, quod attingere Proconsuli in Asiam proficiscenti necessarium fuit vt scribit Vlpianus, L.* IV. *de Off Proc. & Leg. quodq; frequens est apud I. Consultos in facti vt appellant speciebus. Ideo Ephesij Apis imagine Nummos suos signarunt, & celeberrimis Dianæ symbolis.*

voluerunt quippe rependere beneficium Musis, illustri hac & diu mansura testificatione .

Quæ-

Quænam vero fuerit hæc ſpecies Apum neminem vidi qui explicaret. ego ſanè arbitror fuiſſe examen, vt vocabant, quod contra Haruſpicum vanitatem, proſperum etiam aliquando fuiſſe teſtatus eſt Plinius. Lib. XI. *Cap.* XVII. *erant enim Apes Coloniarum emiſſarum notæ, vt ex Platone & Aeliano a viris eruditis pridem annotatum eſt. Varro doctiſſimus Togatorum*; cum examen exiturum eſt, quod fieri ſolet cum adnatę proſpere ſunt multę, ac progeniem veteres emittere volunt in coloniam, vt olim crebro Sabini factitauerunt, propter multitudinem Liberorum, huius quod duo ſolent præire ſigna, ſcitur. *Et hoc Symbolum Apis adeo celebre fuit, vt Smyrnæi, qui, cum genus Atticum iactarent, & Theſeo Smyrnaq; gloriarentur; Regis tamen Attali, & Arſinoes beneficio inter Ionas recepti, illud ſuis nummis adiecerint, vna cum Tripode. Tripus enim & Muſis ſacer fuit, vt ex facto Heſiodi lucuienter oſtendit Varro apud Agellium. Lib.* III. *Cap.* XI.

& ea Smyrnæ laus fuit, vt Musarum, & Gratiarum chori, ipsam perpetuo peragrarent. quo spectat precatio Apollonij Tyanæi; Lib. IV. in princ. vos autem Musæ, illis interim, vt se se inuicem ament, concedite. *quocirca Musas omnes, non vnam aliquam inuocauit Q. Smyrnæus, Lib. XII. 62. Græcorum duces recensiturus, qui in Equum Durium se abdiderunt. Neq; sanè decebat Musas non habitare Smyrnæ, quæ patria Homero fuit, parentibus Melete amne, & Critheide Nimpha, vt quidem habent Nummi veteres, & Philostratus cum Arnobio.*

Neapo-

Neapolitani & ipsi ex Italia nostra, vt genus suum ad Athenienses referrent, quod non omisit Strabo, Lib. V., Minotauro & Apenomismata percusserunt. Quod sanè viderunt Hubertus Goltzius & Vlysses Aldrouandus, quem politissimo carmine beauit Beatissimus D. N. VRBANVS. Qui tamen vt ad alia properabat, ad hæc minus attendere est visus. Bene sit optimi senis laudatis Manibus, per quem consecuti sumus, vt non inuideamus Græciæ vel Latio antiquos illos Naturæ Mysteriorum perscrutatores. & sunt qui tantum virum plagij insimulare audeant quasi non Aristoteles,

Plinius, & Athenæus aliorum scrinia turpius compilarint. læui planè homines, & quos vrit splendor Italicæ gloriæ. at finamus Apibus aculeos suos. Messanenses, Bruttij & Metapontini, quos Aldrouandus produxit, eodem ni fallor respexerunt. Athenienses enim in Italiam & Siciliam colonos non semel emiserunt, vt potè maris, cum Lacedemonijs, alternis vicibus potentes. Verũ hæc omnia conniſus est oppugnare Vir doctiſsimus & accuratiſsimus I. Lipſius. is enim in notis ad Velleium Paterculum negat diſertè Ionem Xuthi fuiſſe conditorem Vrbium Ionicarum. hanc enim migrationem ſpectare ad Nileum, & Codridas. hoc ille probat auctoritate Strabonis, Pauſaniæ, Plutarchi, Tertulliani, Ammiani. quos ego ſanè omnes præ Nummis veteribus, Herodoto, Vitruuio, & Velleio, paruiſacio. Hæc ideo ad te pluribus Vir Reuerendiſsime quia tu mihi in hiſce omnibus Cortina Muſarum es. Vale & amantem ama. Patauij Menſe Auguſto. MDCXXVIII.

L.P.

L.P. AVGVSTINO FAVSTINO I. C. AMICO OPTIMAE NOTAE.

Epist. XLIX.

EDitionem, *quam iugiter ornas Legum Langobardicarum, nos omnes auide operimur Vir præstantissime. Tu modo memineris partem laudis esse tollere aliquando manum de Tabula, & corrumpi venustatem fornosæ faciei nimia quandoq; cura. Interim, quod attinet ad isthæc ipsa, quæ præ manibus habes, quæso te perpende hoc vnum, mihi non dum probè cognitum. Leges Langobardorum Bonauentura Vulcanius vir de bonis Litteris optimè meritus, in Glossarijs suis arbitratus est nominatas fuisse* Andecabeones, *vel* Auricabeones. *quod & placuit doctissimo anonymo; qui concinnauit Scholia ad Paulū Vuarnefridum, de Gestis Langob. ad pag.* CLIV. *mo, & Matthias Martinius in Lexico Philologico hoc nuper confirmauit, adiecto etiam etymo, petito ex Lingua Germanica. Vulcanius, & Pauli Scholiastes hoc se aiunt reperisse in veteribus Glossarijs, vti sane reperiuntur. nemini n. ego videre me in Codice antiquo ma-*

nu exarato apud Ioannem Manganum nostrũ hæc diserte perscripta Andecabeo & Auribeo Lex Longobardorum. *Verum ego non ita facile assentior, qui Glossarijs parum fidere a doctis Viris didicerim. sunt enim in illis plumbea pleraq; aureis permixta. Et sanè is, qui Capitulari Caroli Magni (non genuino tamen, sed interpolato in vsum Regni Neapolitani, quod inscripserunt Leges Longobardorum, ediderunt q; Venetijs anno* MDXXXVII.) *is inquam qui huic Libro expositionem vocabulorum præfixit Ioannes Baptista Nenna Barensis, cum singulorum verborum interpretationem apponat, quorundam tamen minimè apposuit, contentus indicasse loca, vnde peti posset. itaq;* andigauerit *&* arrigauerit *quid sibi velint declaraturus, citat L.* libertus homo. *de* succesionibus *quæ est in corpore vt dicũt Capitularis Pag.* 121. *vbi hæc scripta sunt*, & si casu faciente sine heredibus mortuus fuerit, & antea iudicauerit res suas proprias, se viuente, id est andigauerit, & arigauerit secundum Legem Longobardorum habeat cui donauerit. *quo etiam pacto legit is, quem verè Nomophilacem veterum Legum*

appel-

ppellare poßumus , doctiſsimus Lindembro-ius, Libro II. *Legis Longob. Tit.* XIV. *L.* XVII. *iſi quod pro* andigauerit *habet* andegauerit. *Neq; ſanè videtur repugnare vox aliter ſcri-ta atq; aliter. hoc enim arguit hæſitationem ſcribentium, qui pingebant ſiquid non intelle-erant. Vulcanio enim eſt* Anclabeo , *apud Manganum fuit* Andecabeo. *& ipſa verba Legis* XVII. *in vetere Editione Baſilienſi, Tit.* CI. *de Manumiſsionibus.* §. XI. *ita habuerunt* Et ſi caſu faciẽte ſine heredibus mortuus uerit &antea iudicauerit res ſuas proprias iuẽte ſe,id eſt Andigauero,& andegauerit ecũdũ Legẽ Longobardorum, habeat cui lonauerit. *Quod verbi (quidquid illud tan-lem ſit) illuſtrant verba veteris Gloſſæ apud Lindembrogium*, Andigauum ideſt in ſani-ate. Artigauum in infirmitate. *Ego in re ncipiti quid accipiam porrigamue non habeo. u Amicè huic veſtigationi horulam ſi vacat mpende. & magnorum Regum monumenta (Leges inquam)iam tandem vt euolent permit-e. Longobardorum enim memoriæ nos fauc-e par eſt, quando* præclariſsimi quiq; Li-ori *(vt ſcribit Franciſcus Robortellus, in diſpu-tatione de ratione corrigendi antiquorum Li-*

bros) ab illis descripti fuerunt. *concluditq;* mirum dictu, illis Libris nihil emendatius nihil purius. *At hæc satis. tu vale a me, & a Sandellio. Patauij. MDCXXVIII.*

L. P. IOANNI Z. CASTELLINO VIRO ERVDITISSIMO.

Epist. L.

PErmolestum mihi fuit quod nuper ex Litteris tuis percepi laborare te ex oculis. qui sanè morbus me etiam afflixit & aliquandiu & non semel. ex quo capite Phoebo olim magnam inuidiam conflare annisus est Italicæ eruditionis, & Episcopalis apicis (dum vixit) clarissimum decus, Aloysius Lollinus *Episcopus Bellunensis, cuius versiculos humanitatis plenissimos hic appono, non quidem mea causa, verum vt in conspectu sit Epigramma cultum, nitidum, & omnibus numeris omnino absolutum.*

Phoebe tuum crimen Laurenti lumina noctem
Non hanc, Telluris quam vehit vmbra, timēt;
Sed luci haud vlli cessuram, Aurora coruscum
Siue iubar reddat, seu facula vsta ferat.

Dij

Dij meliora ; sacros seruet tutela Poetas
Vestra diu ; hoc ratio postulat hoc pietas.
Vt quos carpit amor studiorum, & cura fatigat
His acie obtingat viuidiore frui.

Hæc ille Anno MDCXXI. cuius politissimas Lucubrationes quæ Remora hucusq; attigerit, quo minus videantur, legantur, & summo cum Eruditorum plausu excipiantur, ego non scio & docti haut satis æquo animo ferunt. Verum patere tu quæso (quando in hæc incidimus) vt Anagnostes tuus habeat in quo se exerceat, vt aures tuæ vices suppleant oculorum, vt memoriæ consulatur doctissimi Antistitis, quem ego arbitror nunc e coelo impense ridere inanitates curarum nostrarum, qui malumus argui heredes vt inofficiosos, quam Editiones nostras, dum vita suppetit, curare. celebraueram ego illustrissimorum Maximi & Siluestri Valeriorum fratrum laudes, quorum altero Patauina Præfectura perfuncto, alter eandem illico auspicabatur

O propera furuo moestum caput abdere amictu
Qui Pataui adlambis moenia Medoace.
Nam quo clarebas VALERI de sanguine magno
Augustam aduehitur MAXIMVS in patriam.
At tu dispersos o collige frontis honores
Nympharum Euganidum gloria Medoace.

Nam

Nam dabitur tibi mox fratri succedere fratrem,
Quem Veneti appelles delicias generis.
O sæcli decus eximium! o par nobile fratrum!
Maiora o Ledæ nomina pignoribus!
Excipit occiduum exoriens nam Castora Pollux;
At vos fulgetis lumine inocciduo.

Vidit ille, & reposuit mihi illico hæc carmina, quæ nulla auctoris culpa, sed nonnullo laudati pudore huc vsq; delituerunt

Ingenti obstrictum tenuit me pignore, Phoebi
Musarumq; recens gloria Pignorius;
Quod nostri studiosus, amás qđ fidus honesti est
Quod Latio & Tusco cognitus eloquio.
Nunc suo in ære siem vt totus, facit aurea vena,
In laudes fratrum quæ fluit Adriacum.
Quorũ ego amore auidã tã mẽtẽ oblecto, voluptas
Præcipua illectum quam sua quemq; tenet.
Quorũ ego honore adeo afficior, magis vt suus
Qui venit a dignis, haud honor afficiat. (vllum,

communicauit autem illa mihi Octauianus Bonus amplissimus Senator, cuius fato functi memoria apud me erit iugiter sacra & sancta. eiusdem venæ sunt Elegi, quos ille ad me misit cum hac præfatiuncula. lege sodes exiguos Elegos, quos ad te mittimus, & quæ in eis cẽsura digna videbũtur, dele cõmetuisse

ruisse eos hanc poenam dixero, qui secundum tuos luci se credere sint ausi ita audacter. *mei autem Elegi fuerant Prosopopeia Aldinæ Catellæ.*

Senectutis exoptatæ incommoda.

Vrget anus Polemonem ætas; virescq; lacertis
Longè abigit: facies admonet ipsa rogi,
Vomere arat quam ruga graui; color inficit atro
Si luteum admisces, qualis in Aethyope est.
Pondus inane humeros iam deprimit, silicet annos
Præteritos quidni pondus inane vocem?
Sensus hebet non vnus. agit non cæca tenebras
Nox oculis furuas, aridulum at senium.
Haud aliter Citharæ ad strepitus obsurduit auris,
Quàm vel veliuoli littora curua maris;
Vel Libyæ in vastis Aspis nutritus arenis,
Serpentum narrant fetuere vbi omne genus;
Exarmatus hiat vacui specus oris, apertis
Vnde volat valuis multiloquum eloquium.
Nam cohibere queat quis verba volucribus alis
Prædita, ne effracto carcere prosiliant?
Aetatis crimen fuerit non moris, abundans
Sermo senum, cunctis tædia longa ferens.
Aut verbis alas natura abscinde, molares
Aut validos Pylijs prouida restitue:
Aut vitio ne verte, loquax si lingua moratur
Hunc modò, nùc illum, nunc alium, atq; aliũ.

His

His accedit humo obtutus defixus, in horas
Non secus ac stygium si meditetur iter
Non pede iter calcandum; agilis nam desijt esse,
Ex quo correptum tarda podagra premit,
Sed vespillonum lectica. sollicita anceps
Nec minus interea computat æra manu,
Non ferrugineæ quæ poscit nauita cymbæ
Vectores nauli nomine pauca Charon;
Sed congesta diu, & fiscos ruptura tumentes,
Heredis subitam ni ferat alea opem,
Hæc studia, hæc species properatis cũcta senectæ
Commoda veloci perdere curriculo.
Hanc tamen expetimus votis ardentibus ò rem,
Si bene perpendas, ridiculam, ac miseram.
At his vtcumq; graphice expressis Epistolam non claudo. imo vt moerorem tibi abstergam contractum forte ex perceptis senectutis incommodis, hæc etiam tibi habe ex eadem officina, aptiora vtiq; hisce diebus, quibus, vt pene cũ Virgilio dicam,
Rura nemusq; placẽt, riguiq; in uallibus amnes
Rus Suburbanum.
Me mihi reddis ager viridante consite vitis
Palmite; odoratis vndiq; cincte rosis.
Munera mẽs perfuncta malis ad sueta remigrat,
Iam tenet Aonidum me rediuiuus amor.
Pristina cum Genio sarcitur gratia, somnus
Inuisit fessos nocte nigrante oculos.

Lon-

Longè alius fio, fueram quam nuper in vrbe,
Vrbanum carcer si modo nomen habet.
Rauca Palatini celebrent subsellia Ciues,
Rure ego in exiguo iugera pauca colam.

Aliud.

Rure suburbano nihil est mihi dulcius, illuc
Ipse mihi demum cum venio placeo.
Displicui medijs Ciuis qui in moenibus vrbis,
Nulla vbi Libertas integra, nulla quies.

Ita canebat Luscinia illa sacra. Tu valetudinem tuam cura diligenter, & Musarum speciem alienis oculis contemplare, aures tuas commodasse contentus. Vale. Patauij. mense Augusti. MDCXXVIII.

FINIS.

LAVRENTIVS PIGNORIVS hæc hactenus latinè edidit.

VETVSTISSIMAE TABVLAE AENEAE Sacris Aegyptiorum Simulachris cœlatæ --accurata Explicatio &c.

Venetijs Apud Io. Antonium Rampazetum Anno M DCV. Sumptibus Iacobi Franco cum Priuil. 4.

Quæ prodijt etiam Francofurti, Typis Matthiæ Dec-

DecKeri impẽsis verò, Io. Theodori, & Io. Israelis de Bry, & Viduæ Theodori de Bry, matris eorundem Anno MDCVIII. Hoc Titulo

CHARACTERES AEGYPTII, hoc est Sacrorum quibus Aegyptij vtuntur, Simulacrorum accurata delineatio &c. 4.

* De SERVIS, & eorum apud veteres ministerijs Commentarius,

Augustæ Vindelicorum ad insigne Pinus, Anno M DC XIII. 4.

NOTVLAE EXTEMPORARIAE In Emblemata Andreæ Alciati.

Patauij Apud Petrum Paulum Tozzium Anno MDCXIIX. 8.

EAEDEM Cũ Cõmentarijs amplioribus aliorũ.

Patauij Apud Petrum Paulum Tozzium Anno MDCXXVI. 4.

PROSOPOPOEIA ALDINAE CATELLAE

Patauij Typis Laurentij Pasquati Anno M DC XVII. in f.

Eadem sub titulo LACRIMAR. POETICAR. in oblitum Aldinæ Catellæ.

Parisijs Apud Nicolaum Buon M DCXXII. in 8.

MAGNAE DEVM MATRIS IDEAE ET ATTIDIS INITIA.

Parisijs Apud Nicolaum Buon; via Iacobæa sub Signis SS. Claudij, & Hominis Silvestris Anno M DC XXIII.

SED AVCTIORA. 4.

Ve-

Venetijs Anno MDCXXIV. Sumptibus Petri Pauli Tozzi Bibliopolæ Patauini. 4

AD VRBANVM VIII. PONT. OPT. MAX. Carmen.

Patauij ex Typographia Laurentij Pasquati. Anno M DC XXIII. 4.

Ad FRANCISCVM BARBERINVM, CARD. Aponus.

Patauij ex Typographia Laurentij Pasquati, Anno M DC XXIII. 4.

* MISCELLA ELOGIORVM, ADCLAMATIONVM, ADLOCVTINVM, CONCLAMATIONVM, EPITAPHIORVM, &c.

Patauij apud Impressores Camerales. Anno M DC XXVI.

SYMBOLARVM EPISTOLICARVM Liber in quo nonnulla ex Antiquitatis, Iurisciuilis, & Historiæ penu depromuntur, & illustrantur multaq; auctorum loca emendantur & explicantur.

Patauij, ex Typographia Io. Baptistæ Martini, & Liuij Pasquati. Anno MDCXXIX. 8.

Asteriscus appositus Libris, denotat Auctorem eos domi habere auctiores, & castigatiores; paratumq; eos tradere Typographis siqui eos recudere voluerint.

ITALICE.

ANNOTATIONI ET AGGIONTE al Libro delle Imagini de gli Dei di Vicenzo Cartari.

In

In Padoua Appreſſo Pietro Paulo Tozzi nella Stãp. del Paſquati l' An. M DCXV. XXVI. in 4.

Della CONSECRATIONE delle VERGINI.

In Padoua, Appreſſo Pietro Paulo Tozzi l' Anno M DCXVI. in 4.

GAREGGIAMENTOVICENDEVOLE In Lode dell'Illuſtriſs. S. DOMENICO MOLINO.

In Venetia, l' Anno M DCXXIV. Ad inſtanza di Pietro Paolo Tozzi. in 4.

NOTITIE HISTORICHE Sopra la Gieruſalemme del Taſſo.

In Venetia Appreſſo Nicolò Miſerini l' Anno M DCXXV, in 24 XXIIX. in 4.

LE ORIGINI DI PADOVA.

In Padoua appreſſo Pietro Paolo Tozzi l' Anno M DCXXV. in 4.

L'ANTENORE.

In Padoua Appreſſo Pietro Paulo Tozzi l' Anno M DC XXV.

L'ATTESTATIONE di GIVLIO PAVLO.

In Padoua nella Stamparia di Pietro Paolo Tozzi l' Anno M DCXXV. in 4.

La PRINCIPESSA delle Cõpoſitioni sfiorata Riotta

In Venetia appreſſo Antonio Pinelli Stampator Ducale l' Anno M DCXXV. in 4.

LA VITA DI SANTA GIVSTINA VERGINE E PROTO-MARTIRE PADOVANA.

In Padoua per Gio. Battiſta Martini, & Liu. Paſquati Stampatori Camerali. l' Anno. M DCXXVI. in 4.

IL FINE.